

Universitätsbibliothek Wuppertal

Omnia Divini Platonis Opera

Plato

Venetiis, M.D.LVI

Platonis Protagoras, vel, sophistae

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-254](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-254)

potissimum? HOS. Affinitatum liberorumque necessitudines illas, quae in elocationibus nuptijsque sunt: plurimum. n. circa haec non recte ad procreandum liberos copulatur. SOC. Quamobrem? HOS. Diuitias. n. potestiamque in his rebus quam cupide persequantur, quid attinet diligentius oratione percipere? SOC. Nihil. HOS. De illis aut quibus genus cura est, loqui praestat, si quid forte propter modum agant. SOC. Aequum est. HOS. Agunt autem nulla quidem ratione recta, praesentem voluptatem secuti, & ex eo quod similibus tantum delectantur, dissimilibus vero minime, difficultatis plurimum excitant. SOC. Quo pacto? HOS. Modeste siquidem homines similes sui mores gerunt, et quo ad possunt ex hominibus & ipsi ducunt, & elocant suas talibus. Eodem pacto forte illud genus, similes sibi adsciscit, cum oporteret contra omnino ab utroque genere fieri. SOC. Quo? & qua ob causam? HOS. Quonia foris natura haec est conditio, ut si per multas successiones expertis temperantia permaneat, principio fiat robustior, tandem vero in furorem versa deficiat. SOC. Conuenit. HOS. Rursus autem a pudore abudans, audacia vero fortitudinis vndique carens, si per multas similiter generationes transeat, senior sit quam decet, ac demum extremo quodam torpore mergitur. SOC. Id quoque ita contingere constat. HOS. His ut diximus ligametas vincere utraque horum genera facile possumus, si, ut diximus, opinione de bonis et pulchris utraque habeant eandem. Hoc autem vnum & integrum regiae texture opus est, ut nunquam moderatos mores seorsim a fortibus esse permittat, sed utraque ingenia inuicem per opinionis eiusdem consensione, per honores vituperationesque, per alternam coniugiam coextens, relam ex his lenem optimamque coherentem efficiat, hisque coiter semper ciuiles magistratus muneraque committat. SOC. Quo pacto? HOS. Vbi vnus sufficiens gubernatio, hominem praeditum moribus vtriusque praeficiet. Vbi pluribus opus erit, vtriusque generis partes aliquas commiscebit. Temperatorum. n. principum mores cauti admodum & iusti, et salutare: acri proptitudine & vehementia quadam ad agendum idonea indigent. SOC. Ita de his quoque videtur. HOS. Fortitudo autem in cautione, et iustitia illis cedit, in rebus agendis plurimum antecellit. Neque vero possunt in ciuitate omnia bene agi priuatim et publice, nisi ambo haec adsint. SOC. Non certe. HOS. Finem igitur ciuilem actionis recta plicatione contextum tunc extare dicamus, quando fortis, & temperantium ingenia concordia amicitiaque concilians, coem illorum efficit vitam: qui sane contextus praeclarissimus omnium est & optimus, aliosque insuper oes in ciuitate tam seruos quam liberos protegens, & complectens, hac texture serie que comprehendit: atque ita dominatur, & praesidet ciuitati, ut nihil praetermittat eorum, quae, quoad fieri potest, beatam efficiunt ciuitatem. SOC. Profecto nobis hospes regium ipsum ciuilemque virum egregie definisti.

PLATONIS PROTAGORAS, VEL, SOPHISTAE.
MARSILII FICINI
 ARGUMENT.

EXTAT apud Graecos verissimum de Platone dictum, Phaedrum videlicet duos praecipue filios genuisse, Aesculapium, &

Platonem. Aesculapium quidem qui corporibus, Platonem vero qui animis mederetur. Socratem quoque Socratici omnes purgandorum gratia animorum a deo missum fuisse testantur. Moribus autem animi in falsis opinionibus malisque moribus videtur consistere. Tantum vero malum ingenius animis haud tam facile ab alijs, quam a sophistis solet inferri. Profecto philosophi sunt qui veritatem studioso quaerunt veritatis duntaxat ipsius amore. Sophistae vero, opinionem affectant, similiter opinionis amore. Hi enim quasi disciplinarum mercatores & caupones, vndique opinionum absque delectu varias congregant, tum ad excogitandum, tum ad dicebendum vnicuique liberum pertinentes, quas deinde quasi venales diuitibus vendant adolescentibus, diuitiarum & inanis gloriae gratia. Itaque nihil inquam habent pensi, vtrum vera, vel bona an contra, aut ipsi discant, aut alios doceant: sed & confundunt, & passim errores effundunt quotidie plurimos, nulla praesens rectae elationis habita ratione, modo & diuitias cumulent, & vulgarem gloriam consequantur. Quamobrem necesse est adolescentem atque viros, qui sophistas ob sapientiae opinionem, & eloquentiae suam plurimi faciunt, quotidie ab illis falsarum opinionum pestimorumque morum venena combibere. Siquidem mali mores, & falsas sequuntur opiniones, & facile ab avaris ambitiosisque praecipitibus, qui nihilominus plurimi existimantur, in discipulos transguntur. Plato igitur animum misertus tam prone, tam graui periclitantium, frequentissime sub Socratis sui persona maleficos, venenososque sophistas pro viribus detestatur, quo videlicet homines discendi cupidi caute fallaces deuenit Sirenum cantus, & noxia pocula Cereris. Neque tamen inuictius eos manifestis effulminat, ne vel ipse perturbatione vlla odioque in illos videatur adductus, vel ipsi ipsorumque sectatores, venenosa in eum impudentissima lingua tela rectorqueant. Ergo partim ironia, partim risu, saepe ioco, & ludo, saepe honesta quadam redargutione immeritam sophistarum auctoritatem conatur aduicere. Id quidem in Sophista acutissime perficit. Ad in Gorgia elegantissime. Facet admodum & vrbane in Hippia, Scit & argute in Euthydemo. Artificiose etiam in Protagora, sepeque similiter. Vbi vero Sophistas omnia prostantes inducit iactabundos, & gloriosos, temerarios insuper, & auaros. In principio quidem disputationis satis aptos, paulatim vero ineptiores, postremo omnium ineptissimos, qui nulla de re praecipue grauiori, vel quid sit, vel quanta, vel qualis, intelligant: cumque proficantur omnia, nihil eos omnino scire conuenit. Haecenus in omnes Platonis dialogos in quibus Sophistarum commemoratio fit, praefatos esse sufficiat. Pergamus iam ad Protagoram. Socrates a Diotima satyrica artem amatoriam didicit, per quam sciebat per corporum pulchritudinem quasi per vestigia quadam sagaciter venari, tum animi, tum mentis angelicae, deique pulchritudinem, eandemque artem vbi que docebat. De hac eius arte Plato, & saepe alibi, & in symposio ac Phaedro praecipue pertraclauit. Eandem in principio huius libri significauit. Idcirco subiunxit cum non minus amare virum quam adolescentem: ac paulo post seniores quoque amare ardentius, modo sapientiores appareant. Post haec Socrates dum Hippocratem adolescentem disciplinarum auidissimum artificiosissime monet ne temere cuiuslibet se disciplina committat, non solum illum, sed & nos commonescit, & curam animi longe magis quam corporis habeamus, caueamusque diligenter ne disciplinis ipsum noxys imbuamus. Eas enim magis ob esse animo, quam corpori nostro venenum. Mox quasi pictor Sophistarum fastidium, vanitatemque ante oculos ponit. Demonstrat quoque quantum iuuentus credula eorum tum pompam admiretur, tum lenocinis captiatur. Deinde ad ea descendit quae maximi ad vitam momenti sunt, & quibus sophista plurimum gloriantur, quaerens de virtute quidem omni, praecipue vero de praecipua, id est ciuili, per quam & propria cuiusque, & familiaris, & publica res ad summum bonum recta ratione disponitur: quam veluti praeter ceteris necessariam Plato in omnibus pene quae erit dialogis: intereaque ostendit hanc nullo modo a Sophistis esse petendum. sed quodammodo a philosophis: qui cum verum intelligant colantque bonum, nimirum recto ad ipsum tramite deo duce perducere possunt. Sed redeamus nunc ad Sophistam, quem non posse virtutem eiusmodi, vel exemplo tradere, vel disputatione docere, ex hoc plane perspicitur, quod & ipse virtutis est expertis, & rectum disputandi ordinem non obseruat. Cum enim interrogetur Protagora hic a Socrate, vtrum virtus doceri possit necne, vtpote qui verae differendi artis sit ignarus, recipit statim se ostensurum virtutem posse doceri, antequam quid ipsa sit quouae in partes diuidatur, aperiat. Socrates autem tentandi Sophistae gratia argumentatur eam doceri non posse, his pene verbis. Quando publice de aliquo eius artis officio consultatur, quae a ceteris praecipue doceri potest, nullus admittitur ad consilium, praeter

Fortis natus
 & conditio

ter illos, qui artem eiusmodi ab ipsis præceptoribus didicerunt, ipsi exercuerunt. Quando verò de publicis rebus quæ ad virtutem civilem spectant deliberatur, omnes sermo similiter admittuntur, neque ab ullo queritur utrum, & à quo, & quando peritiam civilem acceperit, quasi omnes intelligant, eam certis in scholis disci non posse. Præterea si ab altero alteri traderetur, præcipue viri in ea clarissimi rem hanc tam præciosam sepe suis hereditario quodam iure relinquere. Ad hæc Protagoras longis probat ambagibus doceri posse virtutem. In quibus notanda quedam præcorum refert mysteria. Decet enim quamvis Sophista sit, nonnulla etiam legesse bona: & cum prolixè loquatur apud Platonem, vilia quedam adducere. Tradunt theologi veteres, sub terra quondam animalia luisse, id est in prima mundi materia rerum semina præfuisse. Præterea Iouem, id est deum mundi opificem per sequentes deos, hoc est per stellas, animalia ex elementis composuisse. Deos autem ministerio demonum animalia instrumentis adiuuiculisque ad vitam necessariis armasse, ea videlicet ratione, ut Prometheus, qui demonum sublimium ordinem significat, amaret homines: Epimetheus autem qui inferiorum demonum refert exercitum, bruta sulciet. neque id quidem iniuria: siquidem altiorem demones, natura incorporea atque rationali, humiliores autem corpore & irrationali; potius fauent. Quantum verò Epimetheus inferiorque natura in his quæ ad corpus pertinent fauit brutis, tantum Prometheus providentiæque superior in his quæ ad animum spectant hominibus consuluisse videtur. Cum enim artis tribuit rationem, artificiosum omnium quæ natura bestiis dederat, exhibuit fabrum. Accepit autem artem ipsam cum igne ab officina Minervæ, atque Vulcani, Minerva quidem in arte ingenium, Vulcanus autem efficaciam continet, ignis denique instrumentum. Gemina verò hæc numina, Minerva Vulcanusque, primo quidem in ipsis artium ideis excogitantur. Deinde in Mercurij Martisque virtutibus. Postremo in demonibus gubernatoribus artium. Ab his igitur omnibus Prometheus rationalis anima gubernator in hominem traiecit artis industriam. Quoniam verò diuinum id extitit donum, statim ob ipsam cum superis cognationem homo veneratus est deum antequam vel loqueretur, vel artes aliquas exerceret: quippe cum diuinum munus ob mirificam eius potentiam prius erigat in diuina quam porrigit per humana. Prometheus verò ob id munus dolore affectum, significat demonicum ipsam curatorem nostrum, in quo & affectus esse possunt, misericordia quadam erga nos afficit, considerantem nos ob ipsam rationis munus ab eo vel datum, vel potius excitatum, tanto miserabiliorum vitam in terris quam bestias agere, quanto magis sollicitam atque inexplicabilem. Quod quidem Pythagoras animadvertens, Epimetheus quantum ad hoc ipsum spectat. Prometheus anteposuit. Id autem illi quodammodo simile videtur esse. Penites me fecisse hominem. Proinde nemento hominem hic quemadmodum & apud Moysen ex terra, & postremo creatum. Item more quasi Mosaico mundum initium habuisse. Sed de his aliis. Per eundem Prometheus in Philebo dicitur datam esse nobis à dijs dijerendi artem cum igne. Ars enim differendi, ubi universalia in particularia diuidit, processum rerum à superioribus repræsentat: ubi particularia vicissim in universalia rite resoluit, conversionem rerum ad superiora designat: ubi desinit & tibi demonstrat, existentiam rerum ostendit, ubi quidem in seipsis, hæc autem ab alijs dependentium. Ideo differendi facultas diuinum est donum, cum diuinum universi ordinem referat. Cum igne verò data dicitur, quia ignis similiter diuidit, resoluit, desinit atque demonstrat. Item quia rationalis facultas ignis instar illuminat intellectum, accendit voluntatem, & utrumque eleuat ad sublimia. Quod autem traditur Prometheus civilem virtutem salutem hominum penitus necessariam largiri non potuisse, propterea quod virtus eius nodi penes Iouem sit, quò Prometheus non licet ascendere, ea ratione intelligendum est, quia civilis virtutis officium est non solum rebus humanis, sed etiam artibus imperare, singulasque cum singulis ordinare, cunctas denique in communem omnium formam dirigere. Idem verò officium Iouis ipse est in universo, quod in hominum genere apparet scientiæ civilis officium. Quoniam nobrem non iniuria ad Iouem ipsum spectat hanc nobis ex alto largiri. Universalis enim virtus ad universalem Iouis pertinet providentiam. Providentiæ verò demonum particularis est, & angustia, ideoque in Iouis arcem nequit ascendere: cum angustior humiliorque providentiæ, amplissimam eminentissimamque equare non valeat. Iupiter igitur per Mercurium, id est per angelum diuinæ voluntatis interpretem civilis scientiæ leges, id est voluntatis suæ decreta ad humanæ societatis generisque salutem spectantia mentibus nostris inscribit: inscribit inquam, & ab initio, quod Timæus aperte docet, & quotidie per angelos diuinam nobis voluntatem in-

terpretantes. Vnde intus in nobis præsidet index inextinguibile rationis lumen, rectum veri falsique, & boni malique, examen, mentabilis conscientie stimulus. Per hanc deus infusam omnibus legem omnes ita ferme ad commune dirigit bonum, ut omnes flammæ leuitate erigat ad superna. Ab hac utique ingenta lege deinde scripta ducit originem. Quod quidem in ipso libri legum exordio Plato aperuit dicens, non ab homine, sed ab ipso deo leges initium habuisse. Sed ut ad presentem dialogum redeamus, subiungit Iouem per Mercurium condidisse legem, qua iubentur omnes civilitatis esse participes: quippe cum hæc sola sit vinculum civitatis: ipsamque civitatem iustitia & pudore constantem ait ad omnes cælitus demississe, eo videlicet pacto, ut quicumque posthac virtutis huius omnino expers deprehensus fuerit, tanquam civitatis pestis ultimo afficiatur supplicio. Quem verò primo appellavit pudorem, deinde temperantiam nominavit. Est enim pudor ingenitus temperantiæ fundamentum. Temperantiæ quidem in civibus proprios cuiusque moderatur affectus, gestusque componit. Iustitia verò actus cuiusque conducentes ad alios dirigit. Memento verò civilitatem in persona priuata his ferè duobus esse contentam, sed in publica ex Platonis mente his adhibendam esse prudentiam. Atque id quidem penè satis in pace fuerit, in bello autem fortitudinem adhibere, atque ita civilitas erit absoluta descriptio. Post hæc autem confirmat Protagoras à communi hominum sententiæ virtutis huius participes omnes esse debere, propterea quod si quis iniustitiam suam palam fateatur, vulgo insanus habebitur: quasi omnes existiment tam necessariam communem civitati iustitiam, ut etiam si quis non habeat, saltem habere eam debeat simulare. Cum verò ostenderit hæc tenus civilem virtutem esse omnibus maximè omnium necessariam eiusque affectum quendam siue fontem seminemque ab initio diuinitus nobis infusum, demonstrare deinceps aggreditur virtutem civilem, in dicitur & alias (omnes enim illa complectitur) neque natura neque casu absolutum firmumque habitum sortiri posse, sed doctrina duntaxat & consuetudine eius habitum comparari. Ad id verò primo rationem affert, ostendentem homines non solere aliquem ob ea quæ vel natura, vel casu sunt probare unquam, vel improbare: actiones autem virtutis aut vitij laudare semper aut vituperare. Deinde pueritiæ adolescentiæque educationem sub domesticis, grammaticis, musicis, gymnasticis, legibus, ordine quodam longo disponit, ostendens totam vitam institutionem ad id obnixè contendere, ut declinentur vitia, virtutes possideantur: quasi neque vitia neque virtutes, vel fortuna, vel fato, sed arbitrio, & exercitatione proveniant. Interea præcorum perstringit sententiam de vitij puniendis consideratione dignam, videlicet neminem quia deliquerit, sed ne vel ipse vitiosus, vel alius eius exemplo delinquant, puniendum esse: respondetque ad illa quæ obiecerat Socrates. Nos autem ex omnibus quæ hæc tenus disputata sunt, auream illam præcorum sententiam tenebimus alia mente repositam. Primo quidem deum ipsum vitæ salutemque nostræ omnibus iudicium modis providere atque consulere. Deinde civilem virtutem donum esse diuinum, ne quis forte considat se absque diuina gratia rempub. rectè feliciterque gubernaturum. Id enim in Legibus, & alibi Plato confirmans ait: quemadmodum bestia multa ab una nisi sub humano pastore rectè duci non possunt, ita neque homines multi feliciter ab uno quodam rege, nisi & unus regatur à deo. Ideoque regendi facultatem non aliunde quam à deo haberi in Theage & Menone probat. Protagoras verò sophista quid velit, ipse viderit. Denique quam necessaria sit iniustitia missa cælitus meminerimus, si aures asidue nostras præcorum voces illæ circumsonent: Mortales quondam miseri antequam civilitas cælitus mitteretur, neque segregati vivere poterant, quin passim laniarentur à feris, neque iterum congregati, quin à se inuicem lacerarentur. Itaque salutem nobis quam cuncta simul artes præstare non potuerunt, sola tandem iustitia præstitit. Post hæc Socrates ne Sophista propter nonnulla quæ ab alijs accepta narraverat bona, admirationi sit audientibus, ironica quadam, & urbana, & artificiosa redarguendi ratione reddit illum presentibus deridendum. Interrogat enim postquam de virtute tam magnificè fuerat elocutus, utrum una sit tantum virtus, an plures. Præterea si plures, utrum sint partes unius, necne. Rursus si partes, nunquid similes sibi inuicem atque toti, an utrinque dissimiles. Ad hæc Protagoras neque rectè scit respondere, neque desinare aut partiri virtutes, neque dissimulare quæ ratione similes sint, & quæ dissimiles, neque quod in disputando turpissimum est, cuius iare quin ad id facile deducatur, ut sepe sibi ipsi

sibi ipsi repugnet. Tandem vero cum ob ignorantiam respondendi inci- peret Protagoras tergiversari, ideoque Socrates, abiturum se simula- ret, ab auditoribus Sophista ad differendum est reuocatus. In qua qui- dem altercatione Prodicus primus Sophista superstitiosa circa vocabu- la curiositas demonstratur, deinde Hippia quoque Sophista ostentatio in concionando timidior. Postremo Protagoras reuocatus ad di- putandum, importune nimium, & inepte in carmina poesiâq; digre- ditur, interrogans Socratem de quadam Simonidis poetæ sententia. quam & ipse minime intelligere, à Socrate mox conuincitur, men- tem Simonidis exponente, quasi dixerit, virum bonum fieri quidem esse difficile, persuerare aut impossibile. Hic audies præscorum sapien- tiam verbis quàm paucissimis fuisse contentam: atque posse breuibus multa cõpelli, nisi absolute docti opus esse. Item neminem mala tur- piâq; sponte cõmittere, sed ignorantia. Denique ubi dialectico more disseritur, poetica respicienda. His actis iterum Sophista tergiversa- tur, atq; vix à presentibus reuocatur. Tunc Socrates ad priorem de virtute disputationem regressus, utrum multæ sint virtutis vnius partes, & qua inuicem ratione se habeant. Protagoras autem iterum labitur, affirmans alias inter se virtutes esse simillimas, quod in su- perioribus non admiserat: item fortitudinem ab alijs longissimè sepa- rans, consentiensq; homines absq; prudentia ceterisq; virtutibus sor- tes esse posse. Quia in re sibi met repugnare deinde compellitur, consi- teriq; non solum fortitudinem, sed neque etiam virtutes vllas absque prudentia posse consistere. Tum vero de bono, & malo multa tra- ctatur. Si quidem prudentia est scientia eligendi boni, maliq; vitan- di. Ambigitur autem virum bonum malumq; idem sit penitus quod & voluptas atque dolor. Neque affirmatur id quidem oïno, neque ma- nifestè omnino negatur. De hoc enim in Gorgia, Phileboq; & ali- bi. omnino vero probatur prudentiam ipsam in qua & finis ut e co- gnitio, & viarum ad hunc conferentium consistit electio, moralium virtutum esse principem atq; ducem: idq; usque adeo asseritur, ut vir- tutes quasi scientiæ. i. prudentiæ quædam videantur, esse, vitia vero insitiæ, scilicet imprudentiæ quædam. Additur deinde peccata omnia ab ignorantia proficisci, neq; vllum aliquando electurum mala, nisi deceptum imagine boni: neque fugitur bona, nisi imagine quadam mali perterritum. Siquis vero dixerit hominem bona discernentem at- que mala, ab illis tamen diuerit, ad hæc contra conuerti, propterea quod à voluptate vel affectu sensu alio superetur, Socrates id nega- bit, asserens id ipsum quod ab affectu superari dicitur, nihil esse aliud quam insitiã, scientiam vero omnium quæ in nobis, & circa nos sunt, potentissimam esse, neq; ab vlla re inquam superari posse. De- niq; concludit scientiam plurimam, imò totum ad virtutem beatitudi- nisq; conferre, ignorantiam vero pariter ad contraria. Iterumq; Protagoram corripit, quod & sibi met contradixerit, & ordine vsus præpositero fuerit. Si quidem antequam quid sit virtus definiat, par- tiri eam aggreditur, et utrum doceri valeat disputat. Simulat quin- etiam Socrates se quoque in repugnantiam esse deductum, ex eo dun- taxat quod Sophistam secutus fuerit aberrantem, admonetq; ut Pro- methei prouidentiam potius quàm Epimethei properantiam in omni- vita pro viribus imitemur.

FAMILIARIS, SOCRATES, HIPPOCRATES, PROTAGORAS, ALCIBIADES, CALLIAS, CRITIAS, PRODICVS, HIPPIAS.



VNDENAM, o Socrates, prodixit? An videlicet à Venatione illa red- dis ad quam honesta Alcibiadis indoles prouocare te solet? Nam nu- per contemplanti mihi visus est pul- cher vir, iam vir inquam, qui pos- sit scilicet inter nos ipsos censeri, ut puta cui per genas plurima lanugo iam serpit. SOC. Esto, quid tui? An non probas Homerum, qui, gratissima est, inquit, prima lanuginis atas? Eam vero nunc Alcibia- des agit. FAM. Imò vero. At in p̄sentia vnde? nun- quid ab illo prodixit? & quo erga te nunc affectus est ado- lescentis? SOC. Bene quidè, hodie præsertim mihi visus est: nã mihi sæpe hodie in dicendo succurrit, et ab illo nũc uenio. Ac mirabile tibi quiddã referam. præsentem illũ minime intuebar, & alio intendens ad eũ vix aduerte-

bam. FAM. Quidnam tanti fuit, ut te ab illo diuertet? neque. n. formosior vllus è nostris ciuibus adesse poterat? SOC. Imò aderat quidam admodũ pulchrior. FAM. Quid ais? cuiusne? an peregrinus? SOC. Peregrinus. FAM. Cuius? SOC. Abderites. FAM. Nunquid adeo insigni forma p̄ditus tibi visus est peregrinus ille, ut Clinia filio eum p̄stare putaueris? SOC. Quid prohibet, o beate, quo minus quod sapientius est, sit & pulchrius? FAM. An forte à sapientis cuiusdã colloquio Venis? SOC. Sapientis- simi profecto omnium nostrã ætatis hoĩum, si modo sa- pientissimus tibi aliorum oĩum Protagoras esse videtur. FAM. En quid ais? nunquid huc accessit Protagoras? SOC. Nudius tertius. FAM. An modo cũ illo fuisti? SOC. Atodò, et multa locutus sum, audiui etiã multa. FAM. Nõ tu illa nobis refers? nisi quid prohibet. Sedere hic li- ceat. Tibi quidè puer iste cedit. SOC. Referam equidè, et gratiã insuper si audieris, habebõ. FAM. Et nos tibi, si di- cas. SOC. Audite igitur. Superiori nocte ante lucis exor- tũ Hippocrates Apollodori filius frater Phasonis ostium Occasio dia- meũ baculo uehementer pulsauit: et cũ ostium aliquis ape- logi. ruisse, repete ingressus est clamitans. Dormis, o Socra- tes, an vigilas? Ego aut cognita eius Voce, Hippocrates hic est inquã. O Hippocrates nũquid noui? Nihil, inquit, nisi gratũ nunciaturus aduenio. Optimè, inquã. Sed quid istud? qua te huc causa appulit? Protagoras Venit. & prope me diuertit. Tũ ego, ille iampridè Venit. tu vero modo audisti? Vesperis profecto, inquit ille: scabellumq; in tenebris manu cõtrectans ad pedes meos subsedit, adie- citq; hesternò uesperis sero admodũ ex Oenoe reuersus. puer enim me Satyrus fugerat: cumq; persequi me illũ signifi- care tibi vellè, alio quodam interueniente oblitus sum. At cũ Venissem, cœnatiq; essemus, & somno nos dare vellemus, tunc primũ nunciat frater Venisse Protagorã. illico ad te properare tentauit, sed intèpesta nox detinuit. Somno aut experrectus laboreq; lenatus, mox ad te huc ad- uentauit. Ego uerò viri magnanimitatem stuporemq; ani- maduertès, Quid hoc ad te, inquã? Num aliqua te iniu- ria Protagoras afficit? Tũ ille subridens, sanè inquit, pro- pterea quod solus sit sapiens, me uerò non efficiat sapientè. SOC. Imò certè et te sapientè reddet, si mercede illi obla- ta persuaseris. HIP. O Iuppiter atq; ceteri dy, neq; meis neq; amicorũ rebus parcerem, modo id me consecuturũ con- fiderè: atq; idcirco te nunc adeo, ut apud eũ pro me inter- cedas. Ego. n. & iunior sum, & Protagoram nunquam nec uidi nec audiui. puer enim tunc eram cum huc primũ accessit. Virum quidem hunc oēs, o Socrates laudant, et in dicendo sapientissimũ ferunt. Sed cur non properamus ad eũ, ut domi illum cõueniamus? Diuertit sanè, ut au- diui, apud Calliã Hipponici filium. Eamus iam. SOC. Nondum o bone vir, inquã, illic eundem. Nam valde adhuc profunda nox. Sed eamus ad aulã, ubi deambula- bimus quoad aurora luceat, postea Protagorã ipsam adi- bimus: neq. n. summo mane domo exit Protagoras. Qua- propter cõfide, domi nanque illum cõperiemus. His di- ctis, surreximus, & in aulã profecti sumus: ac uolens ipse fiducia eius periculũ facere, intuitus sum diligenter, atq; ita interrogauit. Dic age, o Hippocrates, ad Prota- goram nunc accedis mercedem pro te illi daturus? ad- qualem hominem vadis? & ipse qualis ex eo vir ena- surus? Quemadmodum si ad Hippocratem tibi co-

Debat ab- que personis p̄sentia nar- ratione con- stare res.

gnominem Coum illum Aesculapij stirpe natū proficisci uelles, pro te mercedem erogaturus, & aliquis quæret, Dic mihi, ò Hippocrates, mercedem Hippocrati dabis? Qualinam homini, & cuius ratione? quid responderes? HIP. Vt medico. SOC. Qualis & ipse futurus, id est cuius gratia? HIP. Vt medicus euasurus. SOC. Sin autē aut Polycleto, Arginuum, aut Phidiam Atheniensem adires mercede pro te oblata, & aliquis percontaretur qualibus hominibus, & qua ratione Polycleto, & Phidiam argentum offers? quid ad hæc? HIP. Tanquam sculptoribus. SOC. Tu vero qualis homo futurus? HIP. Sculptor videlicet. SOC. Attende obsecro: ad Protagorā nūc ego ac tu proficiscimur, & argentum tui gratia dare tibi parati sumus, si modo pecunia nostra sufficient & si impetrare licet: sin minus, amicorum insuper pecunias erogabimus. Si quis ergo nos ad hæc ad eō properantes, interroget. Dicite mihi quæso, ò Socrates, & Hippocrates, qualinam homini, & qua ratione Protagora pecunias tribuere cogitatis: quid illi responderemus? Quodnam potissimū Protagora cognomen tum audiui: Phidiā quidem sculptorē nominant, Homerū uerò poetam Protagorā autē? HIP. Sophistam, ò Socrates, Virum hunc appellat. SOC. Ergo tanquam ad Sophistam mercede conducendū pergimus? HIP. Maxime. SOC. Si quisquam te interroget qua mente, & qualis euasurus ipse Protagorā adeas, quid ad illum. Hic Hippocrates erubuit. iam n. aurora paulisper illuxerat, quo vultus eius patere habitus poterat. respondit deinde: Vt supradicta concludunt, profecto tanquam Sophista & ipse futurus. SOC. An non pudet inter Græcos Sophista cognomen tum? HIP. Vehementer, ò Socrates, si quod sentio proferendum est. SOC. Sed n. vide, ò Hippocrates, ne forte aliō tendat tuum hoc Protagorica artis studium, quam ut Sophista efficiaris. Quemadmodum grammatici ludum citharædiq; atq; gymnastici non artis ipsius exercendæ gratia frequentasti, sed quadā potius auiditate discendi, ut priuatū ac liberum hominū decet. HIP. Talis omnino studij mei apud Protagoram ratio futura videtur. SOC. Scisne quid nunc factururus sis? an te fugit? HIP. Qua de re. SOC. Animi tui curam viro, ut ais, Sophista es commissurus. Quid autem Sophista sit si scis, summopere admirabor. Quod si ignoras, ne scis quale sit istud, bonūne, an malum, cui operam impendere studeas. HIP. Scire equidem arbitror. SOC. Dic ergo, quid Sophistam esse censēs? HIP. Arbitror esse hūc ut nomen significat, qui rationes ad sapientiā pertinentes intelligit. SOC. Idem quoq; de pictoribus ac fabris licet dicere, eos esse videlicet qui rationes ad sapientiā pertinentes intelligunt. Verum si quis ne pictoribus peteret, ad quarum rerū sapientiā, responderemus utiq; ad efficiendarum imaginum sapientiā, similiterq; de cæteris. Et si eodem modo de Sophista interrogaremur, qualem eius sapientiā esse responderemus? quod eius officium. HIP. Sapientiā profectō qua homines ad dicendum faciendi redduntur. SOC. Verè sic forsitan diceremus, non tamē sufficienter. Responso enim illa interrogationem aliam exigit, quibusnam de rebus dicendi peritos Sophista homines reddat. Citharista nempe ipsdem dicendis aptos facit, in quibus & eruditos, in pulsanda videlicet cithara. nōne? HIP. Certè. SOC. At vero Sophista quam dicendi facultatem præstat? quibus de rebus? patet quòd de

his qua intelligit. HIP. Verisimile id quidem. SOC. Quid ergo istud est, quod & ipse Sophista intelligit, & alios docet? HIP. Ignoro Hercle. SOC. An non vides quanto discrimini aium tuum subdas? nunquid si corpus tuū eide discrimini suppositurus esses, quo vel in melius verti, uel in deterius posset, non prius alicui tantū de te periculū facturo comiteres, quam diligenter considerasses, comitendūne sit an non: amicos quinetiā, & propinquos diu de hoc ipso consulisses? Cum verò animum tuum pluri facias quam corpus, & ex eius uel morbo, uel integritate tua omnia contingat vel male, vel bene habere, comitendus sit an nō huic hostiti animus, neminem nec propinquorum, nec amicorum consulisti. Sed cum hesternō vesperi aduentum illius audueris, ad eum summo mane properas, nullo de hoc consilio habito, credere te ipsum illi debeas necne. Imò & tuas omnes & amicorū pecunias erogare paratus es, quasi iam cognoueris omnino esse Protagorā adharendum. quem neq; vidisti unquam, ut ais, neq; es allocutus. Sophistam vocas illum, & quid Sophista sit nescis, cui te ipsum es dediturus. HIP. Vera loqui videris, ò Socrates. SOC. Nōne Sophista est, ò Hippocrates mercator quidā, et caupo victualium quorundam quibus animus alitur? HIP. Talis mihi sanè videtur: uerū quibus alitur animus? SOC. Disciplinis. sed cauendum est, ò amice, ne dum laudat Sophista quæ uendit, nos decipiat, ut faciūt qui corporis epulas vendunt, mercatores quidam & caupones. Laudant illi quidē sua omnia neq; intelligunt Vtrum salubria sint an noxia corpori quæ uendunt, idq; ignorant & illi qui emunt, nisi forte illorum aliquis medicus sit, aut gymnasticus. Haud secus illi qui disciplinas Varias per Vrbes Venales circūferunt & caupones eas emptoribus uendunt, laudant omnes. Ac fortassis eorum nonnulli ignorant sape quid Vtile animo sit, qui due inutile ex his quæ uendunt: similiter quoq; qui ab illis emūt: nisi illorum aliquis sit animi medicus. Si ergo intelligis ipse quid ex his proficit, qui due obstit, tuto emere disciplinas et à Protagora et ab alio quouis potes. Alio quin caue, ò beate adolescens, ne in summū iacturæ discrimen qua tibi charissima sunt, deducas. Nam longè grauius periculū est in disciplinis quam in cibis emēdā. Et enim qui esculenta emit & poculenta, post antequam his vescatur, in alijs quibusdam vasculis illa domum deferre, ibiq; deposita diligenter examinare, & aduocato aliquo istarum rerum perito, quid edendum bibendūne sit, quid non, quantumq; & quando, deliberare. quamobrem haud graue est in emendo periculum. Disciplinas autē non licet alio in vase transferre, sed necesse est, ut qui emit eas animo capiat, & relicto precio habeat, intra se ferens, vel inquinatus iam, vel ad meliora prouectus. Hæc itaq; cum senioribus discutiamus: iuniores nanque nos sumus quam exigit tanta rei iudicium. In presentia tamen pergamus quo cœpimus, Virumq; hunc audiamus? quo audito cum alijs comunicabimus. Neq; enim Protagoras ibi solus adest, sed etiam Eliensis Hippas, & Prodicus, ut arbitror, Chius, alijsq; permulti uiri, & admodum sapientes. Placuerunt hæc nobis, atque perreximus. Et ingressi uestibulum sermonem quendam in quem inter eundem fortē incideramus, tractauimus. Qui ne imperfectus relinqueretur, in vestibulo colloquentes eō progressi sumus, dum disputando nobis conueni

ueniret. Audiuistis nos Eunuchus quidam ianitor, sed propter sophistarum istuc frequentiam uenientibus irascebatur. Pulsauimus, aperuit. cum nos uidisset. Huius, sophista etiam hi sunt, inquit, huiusmodi illi. simulque utrisque manibus nixus ostium clausit. Pulsauimus iterum, sed ille clausis foribus, non auditis, inquit, oecum illi non esse? O bone vir, inquam, neque ad Calliam uenimus, neque sophista sumus: sed confide, Protagora indigemus, uide re illum cupimus. Hoc nunciato iuxta tandem fores patefecit. Ingressi, Protagoram offendimus in vestibulo porticus deambulantem. Sequebantur eum multi, hinc quidem Callias Hipponici filius, et germanus eius ex matre Paralus Pericle natus, et Charmides Glauconis: inde uero alter Pericle filius Xanthippus, et Philippides Philomeli, et Ancimirus Mendeus, qui inter omnes Protagora auditores insignior habebatur, discebatque ea mente facultatem illam, ut et ipse sophista futurus eadem quandoque profiteretur. A tergo praeterea sequebantur alij auscultantes Protagoram, quorum plurimi peregrini esse uidebantur, quos ex singulis urbibus per quas circum uagatur ille congregat, mulcens eos uoce tanquam Orpheus quidam, et alliciens. Illi uero uocem passim delimiti sequuntur. Aderant et nostrates quidam in eorum choro. Hunc ego chorum cum contemplerer, ordo me illius mirifice oblectabat. Diligenti siquidem cautione singuli obseruabant, ne passim Protagoram anteirent. Sed cum retro pedem uerteret, pedissequi auditores apte nimium, et in circulum utringue diuisi, ita cedebant, ut posteri semper essent. Hunc post uidi, ut uerba Homeri loquar, Hippiam Eliensem in aduerso porticus vestibulo in throno sedentem. Circa quem per subsellia nonnulli sedebant, Eryximachus Acumi filius, Phaedrus Myrrhinusius, Andron Androtione genitus, alijque nonnulli partim ciues, partim etiam peregrini: qui de rebus naturae sublimibus, astrorumque progressibus interrogare Hippiam uidebantur, ille autem in throno sedens dubitationes singulis enodabat. Vidi praeterea Tantalum. Aderat porro et Prodicus Chius, qui in tabernaculum quoddam secesserat, quo propenu iam antea Hipponicus uti consueuerat: sed ut omnium confluentium hospitum turba exciperetur, angulum illum quoque extractis obsonis Callias hospitibus habitandum dederat. Prodicus igitur uillosis stramentis, et quidem multis, ut uidebatur, inuolutus, istuc adhuc recumbebat. Sedibus autem proximis aliqui considebant, Pausanias Ceramensis, et penes eum adolescentulus quidam optimo ingenio, et generosa indole praeditus, nomine ut audivi Agathon, neque mirum uideri debet, si Pausania sit charissimus. erat ibidem et Adimantus uergetus Cepidius, tum Leucolopi filius, alijque permulti. Quae inter se disceptarent haud satis percipere foris potui, quanquam uehementer audire Prodicum affectabam. Sapientissimus enim diuinusque uir mihi esse uidetur, sed sonitus quidam ex uocis ipsius grauitate sub fornice continue reuolutus, uerba singula confundebat. Euestigio post ingressum nostrum intravit Alcibiades, ut ait ipse, pulcher, et ego credo, et Critias Callaeri filius. Nos autem cum ingressi de quibusdam una differuissimus, eaque effemus spectacula contemplati, accessimus ad Protagoram. Deinde, o Protagoram certe de causa ad te ego et Hippocrates huc uenimus. PROTAGORA. Non quid seorsum ab alijs mecum loqui uultis? an con-

ram omnibus? SOC. Nobis quidem perinde est, sed cum audieris quam ob causam uenimus ipse uideris. PROTAGORA. Quid ergo istud est, cuius gratia huc accessisti? SOC. Hippocrates, hic nostras est Apollodori filius nobili atque felici genere ortus. Ipse uero cum aequalibus suis de uirtute contendit, amulatione concitus, cupitque in republica uir illustris euadere, atque huius rei compotem fore se sperat familiaritate tua. Vide utrum de hoc solus tecum, an coram alijs consultare nos deceat. PROTAGORA. Uideris, o Socrates, recte saluti tuae consulere. prudenti namque cautione indiget peregrinus is qui amplas urbes per lustrans claris ubique iuuenibus persuadet ut relicta aliorum omnium etiam suorum, quam alieni generum, tam senum quam iuuenum consuetudine, sibi soli adhaereant, tanquam ipsius familiaritate praestantiores alijs omnibus euasuri. inuidia aduersum eum insurgant necesse est, multique maleuoli huic insidientur. Ego uero artem sophisticam antiquam esse arbitror, priscos autem uiros in ea peritos inuidiam hanc offensionemque ueritos aliarum artium specie dissimulasse, partim quidem poematis specie, ut Homerus fecit, et Hesiodus, et Simonides, partim uero sub sacrorum oraculorumque appellatione, ut Orpheus, et Musaeus, eorumque etiam sectatores. Audiu praeterea nonnullos eam artem appellasse gymnasticam, quod Iccus Tarentinus fecisse uidetur, et qui adhuc superest sophista nullo inferior Selybrianus Herodicus, qui prisca origine genus a Megarensibus ducit. Pythocles quinetiam Chius sophista doctissimus, alijque permulti sub musicae artis uelamine sophisticam facultatem occultauerunt. Hi oes sicut dictum est, et ob deuitanda inuidiam uehementer nomen dissimularunt, et sub artium aliarum praetextu sophisticam artem occultauerunt. Ego autem ab his omnibus in hoc dissentio, neque conducere uersutias istas existimo. Neque enim uoti compotes eos fieri arbitror. Nam uiri in ciuitate praestantes dissimulationes eiusmodi oes intelligunt. Vulgus autem quodammodo non aduertit, sed ea laudat quae ipsi praedicant. Subterfugendi uero studium istud cum non assequitur quod molitur, et inertem indicat fugientem, et aduertentes homines reddit infensores. Existimant enim praeter cetera hunc uersutum seductoremque esse: ego igitur contrariam quandam uiam sum ingressus. Confitor me esse sophisticam, aliosque docere, et hac ingenua confessione tutius quam dissimulatione illa uitari inuidiam censeo. Alijs praeterea rationibus mihi prospexi, ut nihil mali adiuuante deo ob sophisticam professionem sum passus, licet multos annos facultatem hanc exercuerim. Sum equidem grandis natu, et cuiusque uestrum etate pater esse possem. Quamobrem gratissimum mihi erit, si de his mecum, audientibus omnibus qui intus sunt, uerba facere uelitis. Hic ego eum suspicatus ostentare auctoritatem suam apud Prodicum et Hippiam uelle, quod eius sapientiae auiditate inflammatus ad eum audiendum profecti essemus, cur non inquam Prodicum atque Hippiam, et eos qui hos comitantur, huc aduocamus, ut et ipsi nos audiant? PROTAGORA. Aduocemus. Uultis igitur, Callias inquit, sedes hic paremus, ut differatis sedentes? Consensimus oes, et audiendi auiditate admodum festinantes, scamma unusquisque apprehendimus, et iuxta Hippiam confestim apparauimus. Ibi non plurima erant subsellia. Ibi Callias et Alcibiades ueniunt, Prodicumque

Defensio artis sophisticae.

Apparet rationes.

Qui cum eo istic erant secum adducentes. Postquam igitur confedere omnes, Repete, o Socrates, inquit Protagoras, his presentibus qua paulo ante pro adolescente hoc obsecrabas. Eodem igitur, inquam, exordio quo supra vitamur. Hippocrates hic adhaerere tibi uehementer exoptat: Verum quidnam sit ex hac consuetudine tua reportaturus, libere audiret. Hac nostra erat oratio. PROT. Petis quid mecum lucraturus sis adolescens? nunquam accedes ad me, quin ab eas doctior, singulisq; diebus amplius ampliusq; proficies. SOC. Haud mirum hoc, o Protagora: sic enim conuenit: quandoquidem et tu tam grauis natu, tamq; sapiens, si qua nescis ab aliquo disceres, praestantior abires. At vero non id duntaxat exquirimus. Sed perinde ac si Hippocrates hic mutata sententia uersari cum adolescente hoc, nuper huc profecto Zeuxippo euperet Heraclii filio, cumq; eodem quo nunc te pacto aggressus, eadem ex illo qua ex te audiret, videlicet pulchre apud se quotidie profecturum esse: Zeuxippu roget, qua potissimum in re profecturus sit, respondeat utiq; in arte pingendi? Orthagoram Thebanum si conueniat, audiatq; ex illo doctiorem se eius consuetudine euasurum, qua in re doctiorem roget, in tibiarium sono Orthagoras respondeat: eodem modo & tu adolescenti huic mihiq; pro illo potenti responde. Ais enim Hippocratem, si quidem Protagora adhaerebit, in dies doctiorem fore: qua radem in re? declara. Tum Protagoras. Scite interrogas tu quidem, o Socrates: & ego his qui probe interrogant, gaudeo respondere. Hippocrates quidem si mecum uersetur, in eum errorem non incidet, in quem proculdubio incidisset cum sophistis alijs conuersatur. Alij siquidem iuuenibus obsunt. Inuitos namq; ad eas artes retrahunt quas et fugerant, arithmeticon, astronomiam, geometriam, musicam docentes. Et Hippia simul aspiciens addidit: Quisquis autem ad me uenerit, solu id discet cuius gratia uenit: disciplina uero huiusmodi est prudens in re familiaris & republica consultatio, qua quis & domum recte gubernat, & ciuitatis negocia optime & dicendo transigit, & agendo. SOC. An intelligo quod uis Protagora? ciuilem namq; artem dicere mihi uideris, polliceriq; quomodo in viros bonos ciues euadant. PROT. Hoc ipsum est, o Socrates, quod passim praedico. SOC. O quam praclarum nactus es artificium, si modo es nactus. Nihil sane aliud erga te quam quod sentio proferendum. Id equidem, o Protagora doceri non posse putaram. Tibi tamen autumanti non praestare fidem non possum. Qua uero ob causam neq; doceri, neq; ab hominibus inuicem tradi censeam, aequum est, arbitror, ut dicam. Equidem quod & ceteri Graeci testantur, Athenienses uiros sapientes appello. Video igitur quando contione congregata aliquid de aedificando deliberare uult ciuitas, aedificatorum consilium expeti: & cum de nauium fabrica, fabros nauium accersiri. Idem quoq; faciunt in ceteris omnibus quacumq; doceri & disci posse existimat. Quod si quis alius de artis illius opere consultare pergat, quem eius artis expertem esse putant, clarissimus alijs in rebus sit licet ditissimusq; & nobilissimus, nihilo tamen magis admittunt, sed exhibant, excluduntq; quoad uel ipse tumultu deteritus a dicendo desistat, uel iubentibus magistratibus stipatore ipsum aut extrudant protinus, aut transfigant. Id itaq; in oibus ad perceptionem artium pertinentibus obseruare consue-

runt. At cum de publica ciuitatis administratione consultandum est, consulit architectus aequae ac faber ararius, aequae etiam cerdo, mercator, nauta, diues, pauper, ignobilis, nobilis, neque horum quisquam quenquam excludit, ut in superioribus contingebat, quasi quod nusquam discatur, nulloq; praepatore percipiatur, consultare audeat. Constat porro quod doceri posse non putant. Neq; publice solum hoc, sed & priuatim conspicitur. Etenim qui ciuili sapientia pollent, uirtutem hanc in alium transferre nequeunt. Siquidem Pericles horum adolescentum pater, in his rebus quae sub magistro discuntur, diligenter eos erudiuit: in his autem in quibus ipse sapit, neq; ipse erudit, neq; alteri cuiquam committit erudiendos, sed passim quasi pascentes sine custode pererrant, si forte casu quodam in hanc uirtutem incidant. Idem quoq; Pericles cum esset Cliniae tutor, fratris Alcibiadis huius minoris natu, illiq; metueret ab Alcibiade, ne forte consuetudine eius inquinaretur, segregauit eos, & Cliniam apud Ariphronem educauit. Sed nondum sex inde mensibus exactis cum illi reddidit, cum ingenio illius diffideres. Multos praeterea commemorare possem, qui cum in repub. excellentes uiri essent, nullum tamen aut propinquoru, aut alienoru unquam docuerunt. Equidem, o Protagora, dum hac animaduerto, uirtutem doceri posse diffido. Contra uero dum te audio haec asserentem, sum am mutare cogor, et qua dicit haudquaquam arbitror contemnenda, existimans te usu multarum rerum doctrinaq; & inuentione sapientem esse. Ergo si potes clarius ostendere nobis, quod uirtus doctrina aliqua comparetur, ostende obsecro, nec inuideas. PROT. Haud inuideo, o Socrates. Sed utrum uobis tanquam senior iunioribus fabulam referam? an prosequar disputando? Tunc sane audientium plurimi, utcuque mallet, dicere concesserunt. PROT. Gratiorem uobis fore fabulam arbitror. Olim quandoque dij soli erant, nulla uero mortaliu genera, sed cum tempus generationis fatale uenisset, ipsa dij in terrae uisceribus ex igni terraq; sinxerunt, interuenientibus ijs quae igni, terraq; miscentur. Cum uero educere illa in lucem uellent, Prometheus Epimetheoq; mandarunt, ut suas cuique uires distribuerent. Prometheus itaq; rogauit Epimetheus, ut distributionis illius munus sibi concederet, distribuenti spectatorem se praeberet. Consensit Prometheus, distribuit ille, quibusdam igitur robur absque celeritate dedit, quibusdam imbecillioribus uelocitatem donauit, armauit non nulla, inermibus aut aliud quoddam ad salutem machinamentum excogitauit. Quae enim exiguo corpore clauserat, partim per aerem pennis attolli, partim per terram subrepere iussit. Quae uero in molem amplam auxerat, ea ipsa mole ad salutem suam muniuit. Similiterq; in ceteris exaequans partitus est singula, adeo ut nullum genus penitus obscuraretur. Postquam ita instruxit, ut ne mutua populatione perirent, excogitare iam cepit suffugia qua ratione quam facillime sub diuo agere uitam possent. Itaque illa uel pilis confertissimis serisq; uel durissimis pellibus uestiuit, quibus facile tum hyemis, tum aestus intemperiem tolerarent, & naturalia illis stramenta isdem ex rebus cubiliaq; parauit, pedibusq; soleas addidit, ungulas, setas, callum, pelles itidem quam durissimas. Deinde alimetum alijs alia suppeditauit, quibusdam ex terra herbas, nonnullis ex arboribus poma bac-

Quae pmit
ut sophista
docere.

Tetando o
stenlitur,
quod uirtus
doceri non
possit.

Hac fab
la uirtu
demostr
re, uirtu
docer.

casq;

casq; radices alijs. Nec defuerunt quibus daret è mutuo
 laniatu victum. Caterum voracibus animalibus genus
 quodammodo sterile: ceteris autem quae illorum ferocita-
 ti obnoxia sunt, secundum dedit, ut hoc modo genus co-
 seruaretur. Cum vero non esset admodum sapiens Epime-
 theus, dotes omnes infudit in bruta, neq; aduer-
 tit nihil ex tanta sibi elargitione superfore, quo genus no-
 strum deinde donaret. Restabat ergo hominũ genus im-
 mune & uacuum: itaque quod se uerteret dubitabat. Du-
 bitanti Prometheus adstitit partitionis illius spectator,
 viditq; cetera animalia suis quaque fultra muneribus bo-
 nisq; referta, hominem autem nudum, inermem, calceo-
 rum, stramentorumq; indigum. Iam vero imminabat
 fatalis ipse dies, qui in lucem terra exire cogebat. Cumq;
 aliam salutis humanae viam consultans Prometheus non
 inueniret, surripuit Vulcani Mineruaq; artificiosam pa-
 riter cum igne sapientiam. Neque enim fieri poterat,
 ut eam sine igne nancisceretur quis, vel etiam videretur.
 Eam itaque sic hominum generi Prometheus intulit, atq;
 ita sapientiam quae victum suppeditat consecuti sumus.
 Deerat hominibus adhuc sapientia civilis. Erat illa qui-
 dem apud Iouem, cuius arcem ascendere Prometheo non-
 dum licebat. horribiles Iouis arcem circumstantes custodes
 Prometheus deterrebant. Caterum cominem Vulcani
 Mineruaq; officinam, in qua artes excolebantur, clam
 ingressus furatus est igneam Vulcani artem, aliamq;
 Minerua, atque homini tradidit, qua viuendi facultas
 obuenit. Prometheus autem, ut fertur, propter Epime-
 theum furci poenas dedit. Quoniam vero solus ex omni-
 bus animantibus homo diuinae sortis particeps effectus est,
 principio solus ob hanc cognationem deos esse putauit,
 arasq; illis statuasq; dicitur. Deinde vocem in verba ar-
 ticulatim arte distinxit, edes construxit, vestes calceosq;
 confecit, stramenta elaborauit, ex terra alimenta colle-
 git. Ita homines ab initio constituti sparsim uagabantur
 habitabantq;, nam vrbes nondum construxerant. Ergo
 à feris cum imbecilliores essent, passim laniabantur. Ar-
 tium enim facultas ad victum comparandum sufficiens
 erat, ad pugnam vero contra bestias truculentas minimè.
 Civilis nanque peritia, cuius pars quadam est res milita-
 ris, expertes erant. Ut igitur se aduersus eam peste muni-
 rent, structis vrribus congregati sunt. Congregati aut
 inuicem iniuriabantur, quippe qui civili arte carerent,
 quare dispersi iterum à feris lacerabantur. Verum Iupi-
 ter humanae saluti consulens, Mercurium misit pudorem
 & iustitiam hominum catibus illaturum, ut duo haec ci-
 uitates ornarent deuincirentq;, & mutua benivolentia ci-
 ues conciliarent. Interrogauit ergo Mercurius, qua con-
 ditiones pudorem & iustitiam hominibus traderet. Num,
 inquit, ita ut artes distribui debent: illa siquidem ita di-
 stributae sunt, ut unus in arte medicinae peritus pro rudi-
 bus multis sufficiat ceteraq; similiter. nunquid ita pудо-
 rem & iustitiam hominibus dabo? an omnibus inseram?
 Omnibus, respondit Iupiter: omnes siquidem horum parti-
 cipes esse debent, neq; enim ciuitates illa constarent, si
 pauci quidam ut artium aliarum sic horum participes es-
 sent. Legem praeterea meo nomine condas qua quisquis om-
 nino vel iustitia vel pudoris est expertus, tanquam ciui-
 tatis pestis quaedam ultimo supplicio afficiatur. Hac
 de causa, o Socrates, tam alij omnes quam Athenienses

quotiescunque de architectura uel alio quodam opificio ha-
 bendus sermo est, paucos ad consilium adhibent, ceteros
 autem artium imperitos excludunt, ut & tu ais, et ego
 approbo. Quoties aut de civili administratione consilium
 initur, quae virtus temperantia & iustitia constat, iure
 unumquemque admittunt. quippe cum oporteat omnes
 huius virtutis esse participes, aut ciuitates nullas consti-
 re. Haec, o Socrates, eius de quo dubitabatur est causa.
 Sed ne te decipi suspiceris, hanc insuper accipe coniecturam,
 quod scilicet omnes mortales, mortalem omnem virtutis
 huius civilis participem esse putent, temperantia scilicet
 & iustitia. Nam in ceteris facultatibus, ut tu ais, si
 quis se iactet, puta quod tibicen optimus sit, cum tamen
 in eo ipse sit rudis, audientes hunc aut rident, aut ei indi-
 gnantur. Propinqui vero ut insanum admonent, et incre-
 pant. Contra vero in civili virtute contingit. nam licet
 sciant aliqui quempiam iniustum esse, tamen si ille hoc coram
 nescientibus fateatur, insanire eum existimant, neq; pa-
 tesfaciendam censent iniquitatem, imò semper sine ea pra-
 ditus sit, siue non, iustitiam ostentandam: eum vero qui
 non simulat iustitiam, delirare, tanquam oporteat unum-
 quemque aut civilis virtutis participem esse, aut ex horum
 coetu vitamq; exterminari. Ex his sufficienter ostensam
 puto, quod merito quemlibet de re civili consultore admit-
 tunt, quia virtuti huius copotem quemlibet esse censent.
 Quod aut virtutem neq; innasci, neq; sorte contingeret pu-
 tent, sed doctrina & studio comparari, deinceps tibi cona-
 bor ostendere. Nemo ob ea mala quae vel natura vel casu
 fieri putat cuiquam succenset. Sed nec obiurgat, nec edocet,
 nec punit eos qui hisce malis premuntur, ne tales sint: sed
 oes potius miser amur, ceu deformes, paruos, uoletudina-
 rios homines. Nam quis adeo demens, ut haec corripiat?
 Intelligunt sane, ut arbitror, omnes haec mala eorumq;
 contraria natura hominibus fortunaq; prouenire. Contra
 vero cum mala quadam cuiquam vel studio vel consue-
 tudine & doctrina parua existimant, tunc indignantur,
 increpant, atque puniunt. Quorum de numero iniquitas
 est, & impietas, ac summam quicquid civili virtuti
 repugnat. Quae idcirco quisq; passim damnat, corripitq;
 quod ex industria disciplinaq; tam prauitas quam civilis
 illa virtus proficiscatur. Si enim punitionis intentionem
 considerare uolueris Socrates ex eo quoq; intelliges quod ho-
 mines virtutem studio comparari putant. Nemo enim
 praeteriti gratia punit & ea mente iniustos affligit poe-
 nis, quia iniuriati sunt, nisi quis tanquam brutum abs-
 que ratione percutiat. Verum qui ratione punire aggre-
 ditur, non praeteriti sceleris causa punit: neque enim asse-
 qui potest, ut quod est factum sit infectum: sed futu-
 rum respicit, ne iterum aut ipse, aut alius quilibet exem-
 plo eius adductus delinquat. Quisquis autem hoc propo-
 sito censoraq; eiusmodi animaduertit in errata, doctrina
 virtutem existimat posse comparari. Nam absterrendi
 causa plectit. Hac mente opinioneq; ad plectendum acced-
 unt tam publice quam priuatum, quicumque in peccan-
 tes animaduertunt: Condemnant autem puniuntq; cum
 ceteri omnes, eos quos iudicant peccatores, tum maxi-
 me ciues tui Athenienses. Quamobrem Athenienses
 quoque ex hac ratione in eorum numero esse constat,
 qui doceri virtutem putant. Ex his aperte, ut arbi-
 tror, monstratum est, o Socrates, non iniuria ciues
 tuos

tuos in civili administratione consilium erary fabri co-
 riarum non respere, atq; eos doctrina & studio per exer-
 citationem acquiri posse virtute, existimare. Restat du-
 bitatio illa quam de viris virtute claris mouebas, quam
 ob causam filios illos suos in omnibus qua preceptore conse-
 qui licet, erudiunt: quod vero ad paternam virtute spe-
 ctat, nihilo ceteris meliores reddunt. Ad hoc rōnem, o
 Socrates, non fabulam afferam. Sic enim cogita, vtrū
 est vnum aliquid, aut non, cuius necesse sit cives oēs es-
 se participes, si modo constare ciuitas debeat. Ita n. hac
 tua ambiguitas soluitur, aliter vero minime. Si vnum
 hoc extat, neq; est architectorū, neq; erariorum artificū,
 neq; figulorū opificium, sed iustitia, temperantia, san-
 ctitas, & ut paucis cōprehendam, viri propria virtus:
 si hoc est inquam, cuius participes esse oportet oēs, & cum
 hoc discere & agere quodcumq; placeat aliud, absque hoc
 nequaquam, expertem vero huius doceri, corripit, & pue-
 rum, & virū, & mulierem, quoad correptione melior
 efficiatur, si quis aut hanc spreuerit disciplinam, eum
 tanquam insanabilem ciuitatibus pelli vel interfici: si ita
 est inquam, ut diximus, viri q; praestantes in repub. ciues,
 in ceteris quidem erudiunt filios, in hoc vero nequaquam,
 aduerte quam mirabiliter in eo excellētes euadant. quod
 enim doceri posse tam priuatim quam publice opinantur,
 ostendimus. Cum vero & doctrina & cura acquiri hoc
 possit, alia filios docent, in quibus non est aduersus ne-
 scientes mortis pœna proposita: in quibus aut mors et exi-
 lium, aut pecuniarum ablatio, aut domorū subuersio pre-
 mit ignaros rudēq; filios, in his non omni diligentia pa-
 tres erudiunt, & vbi minime hmoi vrgent, doctrina cu-
 raq; lenior adhibetur? Existimare decet, o Socrates, a
 teneris annis vsq; ad uitae finem erudiri eos atq; moueri.
 Nam cū primum puer qua dicuntur intelligit, nutrix, ma-
 ter, pedagogus, pater, ad hoc omni cura studioq; contē-
 dunt, ut in singulis tum verbis, tum operibus optimus
 puer euadat. Sigillatim n. monstrant quid iustum, quid
 iniustum, quid honestum, quid turpe, quid sanctum,
 quid due prophanū sit, qua agenda, qua non. Quibus si
 obtemperat puer, bene secū agi putant: sin renititur, tū
 veluti contortū obliquumq; lignum minus plagisq; dirin-
 gunt. Posthac ludimagistris pueros curandos tradunt,
 morumq; bonorum diligentia multo magis quam litera-
 rum citharēq; doctrinam à magistris exposcunt, prae-
 ceptores autem susceptos curant & excolunt. Et literas
 vbi tantū didicerunt, ad scriptaq; conuertuntur, poeta-
 rum in primis excellentiū opera illis legenda ediscendaq;
 proponunt, quibus monumenta quamplurima inferun-
 tur, priscorumq; virorum virtute praestantiū gesta lau-
 dantur, ut puer emulatione accensus praecleara maiorum
 facinora imitetur. Citharista quoq; tum alijs quibusdam
 huiusmodi, tum p̄sertim temperantia student cauentq;
 nequid perperā adolescentes agant. Atq; vbi pulsare iā
 citharam didicerunt, rursus poetarū aliorum modulatio-
 ne praestantium cantilenas docent, quas ad citharam ca-
 nant, rhythmosq; & harmonias puerorū animis concilia-
 re conantur, ut mitiores modestioresq; & concinniores ef-
 fecti, & ad agendū viles sint, & ad dicendum. Om-
 nis enim hominis vita numerosa quadam indiget conso-
 nantia. Post hac ad gymnasium magistrōs parentes
 filios mittunt, ut firmissimum aptumq; adepti corporis habi-

tum, optimē menti suggerant ministerium, ne fragili-
 tate corporum impediti, à militaribus ciuilibusq; actioni-
 bus tanquam laboriosis absterreantur. Hac nempe obser-
 uant maximē ij qui maximē possunt: possunt autem ma-
 ximē opulentissimi viri, eorumq; filij, qui primi discipli-
 narum scholas ingressi, nouissimi exeunt. Scholis autem
 egressi, à magistratibus leges iuraq; discere, eorumq;
 exemplo viuere coguntur: nequid ipsi proprio ingenio fre-
 ti temere agant: sed quemadmodum literarum magistri
 pueris adhuc scribendi ignaris, calamo exemplar quod-
 dam praescribunt, ad cuius characteres scribendi artifi-
 cium imitando perdiscunt: ita ciuitas leges praescribens
 priscorum hominum in legibus ferendis prudentissimorū
 inuenta, ad earum normam imperare cogit quemlibet et
 parere. Eos autem qui praeruaricantur, punit: punitioq;
 huiusmodi & apud vos, & apud alios multos, propter
 ea quod tanquam pœna iudicialis dirigit transgressorē,
 iudicium correctioq; vocatur. cum igitur talis tantaq; sit
 virtutis tam priuatim quam publice cura, an dubitas
 adhuc, o Socrates, mirari q; si virtus doceri queat? Ne-
 que vero mirari hoc quisquam debet, imò multo magis
 si doceri non possit. Querebas praeterea quam ob causam
 bonorum patrum filij mali reperiuntur. Hoc iterum do-
 cere te pergo. neque hoc mirum videri debet, si uera sunt
 qua dixi, videlicet virtutis curam non ad vnum aliquē
 duntaxat, sed ad omnes spectare oportere, si modo consi-
 stere ciuitas debeat. Si autem ita est, ut loquor, imò cer-
 te cum ita sit, elige atque considera quamuis aliarum
 facultatum & doctrinarum: vtrū si non posset con-
 sistere ciuitas, nisi tibicines omnes effemus, qualiscun-
 que esse quilibet posset, nōne hoc quilibet priuatim pu-
 blicē vnumquenque doceret, huiusque ignarum sine in-
 iudicia liuore corripere? quemadmodum nunc qua ius-
 ta, & legitima sunt, quilibet sine inuidia praedicat,
 neque hac ut alia celat. prodest enim omnibus commu-
 nis iustitia virtusque. Atque idcirco omnes omnibus
 qua iusta & legitima sunt, libentissimē monstrant. Si
 ergo in tibiaram flatibus eadem animi flagrantia chari-
 tate que inuicem nos erudiremus, num optimorum tibici-
 num filij magis quam deteriorum in his sonis periti eua-
 derent? nequaquam, ut arbitror, sed quicunque natura
 ad tibias instandas ingeniosus esset, magis proficeret,
 tardus autem minus: ac saepenumero periti tibicinis ru-
 dis euaderet filius: saepe etiam inepti filius, aptus. Ve-
 runtamen oēs sufficientes essent tibicines, si cum his con-
 ferrentur qui rudes sunt, nihilq; rerum earū intelligunt.
 Similiter eum existima Socrates, qui iniustissimus tibi vi-
 detur inter homines sub lege viuentes, iustum fore, iu-
 risq; autorem si quando cum illis hominibus conferatur,
 quibus nec disciplina sit, nec iudicia, neque leges, ne-
 que necessitas vlla in vita qua virtutem collere iubeat,
 efferatq; sint, ut illi quos anno praeterito in Leneo poeta
 Pherecrates erudiuit: hac si fore in eos homines incide-
 res, qui ex eorum cœtu sint humani generis hostes, be-
 ne tecum agi putares, si Eurybatum offenderes & Phry-
 nondam, deplorasq; fortunam tuam, desiderans no-
 strorum hominum prauitatem. Nunc autem delica-
 tior videris, o Socrates. quum enim omnes pro viri-
 bus virtutis praecipites sint, nullus tamen tibi talis
 apparet. Quinetiam si queres quis praceptor nos

Græcè loqui docuerit, nullus vtiq̄e appareret. Item si peteres quis docuerit mechanicorum artificum filios ministerium illud, quod patres eorum consortesq̄ alij eiusdem artis exercent, quòdne filij imitantur, haud facile, ò Socrates, praeceptor illorum reperiretur: innumerabilium Verò aliorum, per facile. Ita de virtute dicendum, ac cæteris talibus. Verum satis nos habere putandū, si quis paulò commodius quàm cæteri iuvenes ad virtutem prouehat. Ex quibus vnum me esse profiteor. subtiliusq̄ cæteris omnibus rationem qua boni honestiq̄ fiant, cognoscere, atq̄ ita rem ipsam perficere, vt dignum est ea mercede quam exigo, imò etiā mercede maiori, quod ipsi quoq̄ discipuli iudicant. Ex actionis autem meae hæc est conditio: postquam aliquis à me didicit, si vult ille quidem, retribuit quantum exigo argentum. Sin minus, ingressus templum, iureiurando præstito æstimat quanta mercede digna sibi mea documenta videantur, tantamq̄ exponit. Quod igitur virtus doceri disciq̄ possit, ò Socrates, hæc fabula tibi sit & rone probatum. Quod & Athenienses ipsi testantur. Ostendimus item nihil mirum videri debere, si bonorum patrum mali sint filij, malorumue boni, quandoquidē & Polyleti filij, Parali & Xanthippi huius equales, si cum patre coparentur, interuallo quodā longissimo superantur. similiter et aliorū artificū filij. Nequedum adolescentes hi reprobadi sunt. spem quippe aliquam præbent, iuvenes sunt enim. Cum hæc ostendisset Protagoras, loquendi finem fecit. At ego diu post, vtpote superiori oratione delinitus, in os Protagora inhiabam sequentium verborum desiderio instammatum. Verum postquam destitisse prorfus animaduerti, me ipse recepi, & ad Hippocratem conuersus: ò fili Apollodori inquam, quā in ingentes tibi debeo gratias, quòd me huc hodie adduxisti. Nam plurimi facio hæc à Protagora audiuisse. Antea enim haud humanam curam esse rebar, qua viri boni efficiuntur: nunc autem eam esse per suasus sum. Sed paulūm quiddam restat iterum declarandum, quod videlicet Protagoras facile demonstrabit, postquam multa hæc edocuit. Etenim si quis de ysdem rebus cum aliquo forensium oratorum agat, fortè tales sermones audiet, quales Periclis esse solent, cæterorumq̄ eloquentium hominum. si autem de aliquo redinterrogando insisteret vigeatq̄, librorum instar, neq̄ quid respondeant, neq̄ quid interrogent, ipsi habet. Si quis Verò de aliquo, paucis obiter ab ipsis dicto roget, velut æ percussum alte resonant, longèq̄ vociferantur, nisi eorum dicta protinus excipias. Atq̄ ita rhetores breue quiddam interrogati, prolixam producant orationem. Verum Protagoras hic copiose, & ornate loqui potest, quod superior testatur oratio. potest etiam cum rogatur, summatim ac breuiter respondere: & interrogans ipse, consistere & excipere responsionem, quod quiddam de paucis dicere licet. In presentia igitur, ò Protagora, parum quiddam desidero, quod si declaraueris, putabo tibi in omnibus satisfactum. Virtutem autē doctrinæ studio comparabilem, & ego sicui vnamquam, tibi maxime credo. Quod Verò te dicente sum admiratus, aperias obsecro. Dicebas. n. Iouem iustitiam et pudorem hominibus infudisse. Deinde procedente sermone, sepe iustitiam noī asti, temperantiam, sanctitatem, perinde ac si ista oīa sub vna quadā virtute contineantur, vniq̄ aliquid ipsa virtus existat. Hæc mihi liquidò ex-

planari volim, vtrum scilicet vni quiddam sit virtus, cuius partes sint iustitia, temperantia, sanctitas: an hæc inquam, oīa quæ nunc retuli noīa vnius eiusdemq̄ rei sint, hoc est, inquam, quod insuper requiro. PROT. At facilis est ò Socrates, ad ista responsio, quod virtus ipsius quæ summatim vnum est, partes sunt quæ interrogas omnia. SOC. Vtrum quæadmodum vultus vnius partes sunt os, nares, oculi, aures? An sicuti auri partes nihilo differunt à toto, præterquam magnitudine quadā & paruitate? PROT. Ita se habere mihi videtur, ò Socrates, virtutis partes ad totam, vt vultus partes oēs ad totum. SOC. Vtrum alij hoīes aliam virtutis partem accipiunt? an necesse est, eum qui vnam habet, oēs habere? PROT. Nullo modo, quoniam multi fortes quidē sunt, sed iniusti: & alij iniusti quidem sunt, sapientes minime. SOC. Nunquid sapientia & fortitudo partes virtutis sunt? PROT. Oīno quidē, & præstantissima pars oīum est sapientia. SOC. Est ne hoc quidem aliud, illud Verò aliud? PROT. Est. SOC. Nunquid & potentiam vtrūq̄ propriam habet? quemadmodum è vultus partibus oculus non est auribus similis, neq̄ illorū potentia eadem, neq̄ alia quælibet pars alterius, aut potentia, aut alio quoquā similis est. Itaque virtutis partes se habent, vt neq̄ alia aliarū sit similis, neq̄ eadem, neq̄ potentia eadem? An forte ita esse constat? siquidē nature virtutum exemplar quod induximus, congruit. PROT. Sic certe est ò Socrates. SOC. Nō est igitur pars virtutis alia talis qualis scientia, neq̄ qualis iustitia, vel fortitudo, vel temperantia, vel sanctitas. PROT. Nō certe. SOC. Age in cœ consideremus, qualenam quiddam istorū quoduis existit: primum quidem sic: iustitia res quaedam est, an nulla? Mihi quidem res quædam esse videtur. Tibi Verò? PROT. Et mihi. SOC. Quid Verò? siquis à me & te sciscitetur, ò Protagora atq̄ Socrates, dicite quæso, num res ista quam modo iustitiam noī abatis, eo ipso quo est iustitia, est & iusta, an iniusta? Ego quidem iustam esse dicam. tu Verò mecū sentis? an non? PROT. Tecū plane. SOC. Ego igitur interroganti responderem talem esse iustitiam, quale & iustū. tu Verò? PROT. Ego quoq̄. SOC. Si quæreret iterum, nūquid & sanctitatem aliquā esse dicamus, consentiremus vtiq̄, vt opinor. PROT. Consentiremus. SOC. An non & hanc re aliquam esse dicatis, si roget ille, nōne & hoc assentiremur? PROT. Et hoc. SOC. Nū rei istius naturā talē putatis vt sancta sit, an vt prophana? Interrogationē hanc egre ferrē, ad eumq̄ conuersus obijcerem, Bona verba quæso. Nūquam porro sanctum aliquid esset, nisi & sancta ipsa sanctitas esset. quid & tu? an non similiter responderes? PROT. Similiter. SOC. His si adijceret, an q̄ supra dixisti, recte accipi? Videbimini. n. paulò antè asserere, ita se inuicem partes virtutis habere, vt non sit alia pars qualis est alia. Inferrem equidem ad hæc, quòd alia recte acceperit: quòd Verò me in eo consensisse putarit, non recte. Nam Protagoras iste hæc respondit: ego autem quasiui. Ergo si dicat, ò Protagora, Verè loquitur Socrates, ipse es qui ais, virtutis parte aliam non esse talē qualis est alia: tuus hic sermo est. Quid illi tu respondebis? PROT. Necesse est, ò Socrates, assentiri. SOC. His cōcessis, quid illi potissimum respondebimus, si vltra sic obiecerit? Non ergo talis est sanctitas, vt res iusta sit: neque iustitia talis, vt

Repetit quædam dicit Protagora, vt conueniat ipm.

sancta: sed illa talis, ut non iusta, hæc ut non sancta. iniusta itaq; illa, hæc prophana. Quid ad hæc, inquam? Equidem mea sententia iustitiam esse sanctam, & sanctitatem iustam esse dicam. Arbitror .n. te permissurum, ut pro te illud ipsum respondeam, quod videlicet aut idem sit iustitia quod sanctitas, aut inuicem quam similitima: ut maxime omnium talis iustitia qualis sanctitas, & qualis sanctitas, talis iustitia sit. Vide nū me ita respondere prohibeas, an consentias. PROT. Haud ita simpliciter istud mihi videtur, o Socrates, ut concedi possit sanctitatem iustam, sanctam iustitiam esse. Verū differentia quadam inesse apparet. sed quid tandem id refert? Si vis esto nobis sanctitas iusta, sanctaq; iustitia. SOC. mihi verò non. Nec opus habeo ut istud, si vis, & si tibi placet, redarguatur. Sed ut me & te dicatur volo. Dico autem & me & te, existimans tū demū recte sermonem discuti, si tantū hoc, si, ex eo tollitur. PROT. Enimvero simile quiddam habet iustitia sanctitati. Nā quodlibet cuiuslibet quiddam simile habet, pter illa quæ oīno inter se contraria sunt, ut albi nigrum, molle durum. Atque & illa quæ supra diximus aliam aliamq; inter se vim habere, nec tale esse alterū quale alterū est, ceu vultus ipsius partes, quiddam simile inter se habent, estq; quodammodo tale alterū quale alterū. Atq; hac rōne licet hæc refellas, si placet, quod cuncta inuicem similia sint: non tamen quicquid simile quiddam habent, similia vocanda sunt, neq; etiam quæcumq; dissimile quiddam, inuicem dissimilia, si exiguum quiddam simile vel dissimile habent. SOC. Admiror equidem o Protagora, si ita iustum sanctumq; inuicem sunt, ut parum quiddam simile inter se habeant. PROT. Haud ita oīno. neq; tamē ita prorsus, ut ipse arbitrari videris. SOC. Postquam hæc tibi molesta sunt, dimittamus: aliud verò quiddam ex his quæ dicebas, consideremus. Insaniū aliquid vocas? eiusq; contrariā sapientiam esse dicis? PROT. Equidem. SOC. Nū cum recte frugaliterq; hoīes viuunt, ita agentes, temperanter agere putas, an cum contrariā agunt? PROT. Temperanter agere videntur mihi, cum frugaliter recteq; agunt. SOC. Nōne temperantia temperanter agunt? PROT. Neesse est. SOC. Nōne quicunq; nō recte agunt, insana agunt? & qui ita agunt, non temperanter agunt? PROT. Ita videtur. SOC. Ergo insane agere, contrarium eius est, quod temperatē agere dicitur. PROT. Est vitia. SOC. Nōne igitur quæ insane fiunt, insania fiunt? quæ temperatē, temperantia? PROT. profecto. SOC. Nōne quicquid robore fit, fit robuste? & debilitate quicquid fit, debilitate? PROT. Apparet. SOC. Et quicquid velocitate, velociter: quicquid autē tarditate, tarde? PROT. Et hoc. SOC. Et quod eodē modo fit oīno, ab eodem efficitur: quod verò contrario modo, efficitur à contrario? PROT. Assentior. SOC. Dic obsecro, estne pulchrum aliquid? PROT. Est profecto. SOC. Huic contrarium aliud quicquam est, quam turpe? PROT. Nihil aliud. SOC. Est & aliquid bonum? PROT. Et bonū. SOC. Ei nunquid aliud contrariū nisi malū? PROT. Non aliud. SOC. Est ne aliquid in voce acutū? PROT. Sanē. SOC. Nū aliud illi contrariū quam graue? PROT. Hoc ipm. SOC. An non unicuiq; contrariorū non multa, sed vnū est contrarium? PROT. Vnū duntaxat. SOC. Resumamus iam quæ hæctenus à nobis cōcessa fuerunt. Cōcessimus pla-

Interrogationes p cōiugata, & contraria, ut probet vnū esse contrarium.

nē, vni vnum solum esse contrarium. PROT. Nempe. SOC. Item quod contrario modo fit, à contrarijs effici. PROT. Hoc quoq;. SOC. Admissimus pterea contrario modo fieri quod insane fit, & quod temperant. PROT. Etiam. SOC. Rursus quod temperatē agitur, à temperantia provenire: quod insane, ab insania. PROT. Cōuenit. SOC. An non, si contrario fit modo, fit à contrario? PROT. Vitia. SOC. Fit autē hoc quidem à temperantia, illud autem ab insania. PROT. Certē. SOC. Contrario modo? PROT. Contrario. SOC. Nōne igitur à contrarijs? PROT. Et à contrarijs. SOC. Insania itaq; temperantia contraria est? PROT. Apparet. SOC. Recordamur supra nos concessisse sapientiam insaniam esse contrariam? PROT. Certē. SOC. Quin & vni vnum solum esse contrarium? PROT. Et hoc. SOC. Vtrā igitur orationum harum rejiciemus Protagora? eamne qua dicitur vnum vni solum esse contrarium? An quæ volebat sapientiam temperantia differre? cum vtraq; pars virtutis esset? ac et præter id quod diuersa hæc vtraq; sunt, dissimiles quoq; esse tam ipsas quam earum vim, sic quæadmodum illas in vultu partes? Vtrum istorum refutabimus? Vtraq; sanē haud satis apte dicitur. neq;. n. concinunt inter sese. Nam qua ratione consonarent, si quidem necessarium sit vni vnum duntaxat contrarium esse, pluribus verò nequaquam: insania autē quum vnum sit, sapientia & temperantia contraria videntur? Irāne an aliter, o Protagora? PROT. Esto tandem. quid tū? SOC. An non hac ratione vnum erit sapientia temperantiaq; & supra constitit idem quodammodo esse iustitiam & sanctitatem? Age Protagora, ne pigeat, sed pergamus ad reliqua. Videtur tibi vir iniustus, iniuste agendo temperanter sapere? PROT. Ego quidem confiteri hoc, o Socrates, non audeam, plurimi autem hominum asserunt. SOC. Vtrum ergo ad illos, an ad te verba dirigam? PROT. Si placet, ad hunc primo vulgi sermonem edisseras. SOC. Nihil mea refert, modo ipse respondeas, hæc tibi videntur, an minus. Nam ipsum sermonem in primis ego discutio. Istud autem quod & me interrogante, & te respondente fit, sic accidit fortē. Hic Protagoras efferebatur primum sermonis difficultatē causando, postea verò respondere concessit. Age, inquit, ab initio mihi responde. Videntur aliqui tibi iniuste agendo, sapere temperanter? PROT. Esto. SOC. Temperanter verò sapere, benè sapere vocas? PROT. Voco. SOC. Benè autem sapere, benè consulere in eo, in quo cateri iniuriam exercent? PROT. Esto. SOC. Vtrum si benè faciunt quod iniuriantur, an si malè? PROT. Si benè. SOC. Dicisne bona quædam esse? PROT. Dico. SOC. Num ea bona sunt, quæ vtilia sunt hominibus? PROT. Imò per ionē, bona quædam voco, etiam si hominibus vtilia non sint. SOC. Cum autem videretur mihi Protagoras subiras, & ad responsonem inuitus descendere, mitius eum submissusq; rogavi. Nunquid ais Protagora, quæ nulli hominum vtilia sunt? an quæ nullo modo vtilia? Et talia quædam bona appellas? PROT. Nequaquam. Sed ego multa noui hominibus inutilia, cibos, & potiones, & pharmaca, aliq; permulta: alia verò vtilia. Quædam autem quæ hominibus perinde sunt, equis asserunt magnum momentum. Et nonnulla bobus, nonnulla canibus: quædam verò nullis horum, sed arboribus potius.

Et eorum

Et eorum quae arboribus, quaedam ita se habet, ut saepe radicibus prosint, germinibus obsint. Quemadmodum sterquilinum radicibus utile, ramusculis caulibusque est noxium admodum. Oleum quoque arboribus omnibus herbisque maxime prodest: pilis autem animalium omnium, humanis exceptis, nocet plurimum. Nam et pilis hominum et toti corpori confert. Atque ita varia quaedam et multiformis res bonum existit. Unde et oleum externis nostris corporis partibus optimum, interioribus pessimum. Quapropter medici egrotantibus olei usum vetant, nec uti permittunt, nisi quam parcissime ad obsoniorum quorundam male olentium offensionem reiiciendam. Cum haec dixisset Protagoras, praesentes frequenti applausu acclamantes, illius dicta comprobauerunt. At ego, o Protagora inquam, sum equidem nimis obliuiscus, ac si quis orationem in longum protrahat, de quo uerba fiunt, protinus obliuiscor. Sane si surdaster sim, et mecum sermonem inires, existimares alius mihi quam ceteris inelamandum. sic in praesentia cum obliuiscus hominem alloquaris, concisionibus mecum responsionibus agas, si modo vis ut te consequar. PROT. Quam exiguis breuitatem? num breuioribus quam oporteat uerbis agi tecum iubes? SOC. Minime omnium. PROT. An forte quot opus est uerbis? SOC. Tot utiq. PROT. Nunquid ego orationi modum imponam? an tu potius debitum terminum statues, quem non liceat transgredi, eumque loquendo sim obseruaturus? SOC. Audini equidem posse te copiose, quoties lubitum est, loqui, ut nunquam tibi desit oratio, nec non res easdem paucioribus quam quisquam mortaliu uerbis perstringere: et eam ipsam uim ceteros, ut audio, docere potes. Si ergo mecum disputaturus es, breui illa et concisa ratione dicendi utere quaso. PROT. O Socrates, multis cum hominibus olim dicendo certavi. Quod si quod tu mones egissem, si, inquam, ad normam mihi ab auditore praescriptam uerba fecissem, nihilo quoquam melior essem, nec Protagora nomen tota Graecia resonaret. Ego autem quum cognouissem superiorem respondendi modum illi minime placuisse, eumque sponte quidem deinceps ita minime responsurum haudquaquam expedire mihi sensui, ut illis disputationibus interres, atque idcirco o Protagora, inquam, aut moror disputationem, nisi ex sententia tua nobis procedit. Etenim si ita differere vis, ut ego assequi possim, adstabo equidem, nam tu quidem, ut de te fertur, et ipse profiteris, aequae eadem potes. et summam perstringere, et amplissime edisserere: es enim sapiens ego autem ad prolixam orationem ineptus sum: atque utinam eius compos essem. Verum tua intererat nobis aliquantulum indulgere, quando quidem aequae es ad utrumque paratus, ut disputatio peragatur postquam uero non vis, et me usque a deo negocia uigent, ut neque tecum hic diu comorari, quamuis ista libenter audissem, abeo iam quod res ipsa me uocat. His dictis, surrexi protinus abiturus. Sed Callias dextera quidem me praehendens sinistra pallium, dixit, Haud te dimitemus Socrates: nam si exieris nunc, vix erit deinceps ut ita colloquamur. Mane obsecro, nullius me oratio perinde ut tua illa cum Protagora oblectabit. Quare et mihi et omnibus his obsequere. At ego iam surrexeram exiturus. et ad Calliam inquam: O Hipponici filii, tua semper philosophia admiratus sum, nunc laudo insuper atque amo. Quocirca

gratificari tibi vehementer optarim, si possibilia possas. Quod uero nunc petis, perinde est ac si orares, ut Crisone Imerum cursorem iuuenemque, aequis passibus sequeretur, uel aliquem eorum qui longissimum interuallum excurrere solent, aut diurnum cursum peragere. obijcerem enim multo magis me ipsum optare, quam te, qui hosce cursores cursu aequare queam, sed nequeo. Quod si me et hunc quasi alterum Crisonem spectare pariter concurrentes vis, ipsa ora, ut aequis me passibus comitetur. Nam ego quidem celeriter currere nequeo, hic autem tarde potest. Ergo si optas audire me et Protagoram disputantes, eum obsecra, ut quemadmodum a principio fecit, ita nunc paucis uerbis et ad propositam quaestionem respondeat. Alioquin quis erit disputandi modus? Putabam sane aliud esse inuicem differendo colloqui, aliud concionari. Sed uide, o Socrates, inquit Callias, aqua petere Protagoras uidetur, dum censet licere sibi suo arbitratu differere, tibi item tuo. Hic Alcibiades, haud recte loqueris, inquit, o Callias. Socrates enim hic concionandi impotentem se esse fatetur, et in hoc Protagora cedit. Si autem et in disputando, accipiendusque et reddendus rationibus cedat alicui, summo pere mirabor. Si ergo Protagoras confitetur Socrate se esse disputando inferiore, sat iam Socrates habet: si autem hoc quoque sibi uendicat, cum interrogante Socrate cogredatur, et uicissim respondendo haud longas per ambages circueuetur, neque concionando occasionem intercipiat disputandi, neque rationem reddere Socrati respuat, dum profusus loquitur, quoad plurimi audientium id de quo agitur, obliuiscantur. equidem pro Socrate fideiubeo, eum quae dicentur obliuioni minime mandaturum, licet iocetur nobiscum, obliuiscum esse se dicens. Mihi sane uidetur Socrates aequiora admodum postulare. Decet enim unumquemque sententiam suam exprimere. Post Alcibiadem, ut arbitror, inquit Critias, o Prodicus atque Hippia, Callias quidem Protagora vehementer suffragari uidetur. Alcibiades autem contentiosus nimis est et pertinax, quocumque se uerterit. Nos autem alteri magis quam alteri fauere non decet, uel Socrati, uel Protagora, sed communiter utrumque rogare, ne postquam ceperint, media in disputatione desistant. Cum haec illa dixisset, probe, Prodicus inquit loqueris o Critias: decet enim eos qui disputationibus his intersunt communes quidem esse utrumque auditores, aequos autem minime. Neque uero idem hoc est et illud. communiter quippe audire utrumque decet, non autem aequae utrique tribuere. Sapientiori quidem plus, imperitiori uero minus. Equidem o Protagora atque Socrates, arbitror uos inuicem non nihil debere concedere, et de his quae dicentur, ambigere quidem simul, contendere uero nequaquam. Ambigunt porro propter beneuolentiam cum amicis amici, contendunt autem aduersarij et hostes. Atque ita quam optime disputatio nostra procederet. Vos siquidem ita disputantes, maxime a nobis audientibus probaremini, non laudaremini inquam. Probant utique auditores mentis iudicio absque deceptione: laudant uerbis, plerumque falso praeter sententiam aliquid extollentes. nos item auditores ita maxime gaudio, non uoluptate afficeremur. gaudio afficitur ille, qui discendo et contemplando ipsa intelligentia delectatur: uoluptate perfunditur, qui dum comedit, uel alio quodam oblectamento potitur, ipso sensu corporis delectatur. Cum haec dixisset Pro-

Criso Imerus cursor

Differentia inter coes et aequos auditores.

Inter probare, et laudare.

Inter gaudere et uoluptate capere.

set Pro-

set Prodicus, praesentium plurimi consenserunt. Deinde Hippias ille sapiens sic exorsus est. Arbitror o Viri praesentes, vos omnes cognatos, propinquosq; & conciuos inuicem esse natura, non lege. Simile namq; simili natura cognatum. Lex autem tyrannus hoium multa prater naturam cogit. Turpe itaq; esset, si nos qui rerum naturam callemus, sapientissimiq; Graecorum omnium sumus, postquam de hoc ipso disputatur hanc in urbem conuenimus totius Graecae sapientiae arcem, hinc in adibus Urbis totius amplissimis sumptuosissimiq; congregati sumus, nihil tanta hac amplitudine dignum ostenderemus, sed vilius homuncolorum more altercantes, inuicem dissentiremus. Vos equidem, o Socrates & Protagora, hortor et obtestor, vt subesse nobis velut sub arbitris velitis, qui vos ad medium sint perducturi. Neq; tu exactam dialogi formam, o Socrates, & illam tuam breue nimis breuiloquentiam requires, siquidem est Protagora molestus: sed laxa paulisper obsecro frena, quo sermones magnificentiores splendidioreq; sint. Et te insuper Protagora quaso, ne tentis oibus rudentibus, velisq; plenis in aliu sermonem mare protinus delabare, vnde nusquam tellus conspicitur, sed annitami vt mediocritatem pro viribus vterq; seruetis. Igitur faciatu quod volo, obreperetisq; caduceatorem praefectumq; certami & iudicem eligeris quendam, qui verbis vtriusq; statuatur modum. Placuerunt hac praesentibus, oesq; laudarunt. Me vero hoc ide hortatus est Callias, rogaruntq; eligere arbitrum. At ego, non decet inquam, iudice huic disputationi praeficere. Nam si nobis imperitor erit iudex, iniustum erit vt deterior aliquis potioribus praesit. Si similis, rursus haud recte agetur. Similis n. nobis similia faciet. Quapropter supernacius erit. Praestantior vero nobis quenquam eligere impossibile reuera est, vt arbitror, quippe cum Protagora hoc sapientior alius eligi nequeat, quod si que elegeritis nihilo doctiorem, asseretis tamen, dedecori Protagora hoc erit, quod ei tanquam inscio & ignobili iudice delegistis. Mea vero nihil interest. Ceterum vt quemadmodum vultis, disputare pergamus, ita mihi videtur agendum. Si no vult respondere Protagoras, interroget saltem, ego aut respondebo, eiq; conabor ostendere quo pacto respondere quis alteri, meo quidem iudicio, debeat. Ac vbi ego ad quamlibet eius interrogatione ei respondebo, ille mihi vicissim officium ide promittat. Et si forte paru alacris esse ad disputandum videatur, ego simul & vos hoem oremus, quemadmodu vos me nunc oratis, ne ceetum dissoluat. Neq; vero opus est vt vnum iudice proponatis. Vos n. vna omnes iudicabitis. Consenserunt oes sic esse agendum. Protagoras aut inuitus ad hac descendere videbatur. Tandem concedere coactus est interrogaturu se, & postquam satis interrogauerit, breuiter responsurum. itaq; in hunc modu interrogare coepit. Arbitror o Socrates, praecipuam doctrinae partem in hoc consistere, vt carmina quis quapluurima habeat in promptu. Est aut hoc vt poetarum dicta intelligere possit, qua recte scilicet habeant, q; minus: sciatq; discernere, & cum interrogetur, rationem dare. Et nunc quidem interroget aliquis de eo ipso quod vtriq; iam inuestigamus, virtute scilicet. Sed hoc intererit, quod ad carmina disputatio est translata. Dicit n. Simonides ad Scopam Creontis Thessalici filiu, difficile esse virum vere bonum fieri, manibus pedibusq;

& mente non ad amuissim quadratis. Tene sne memoria carmina, aut vis vt vniuersa exponam? SOC. Nihil opus est. Teneo namq; & diligens mihi horum carminum cura fuit. PROT. Bene loqueris. Vtrum bene recteq; dixisse tibi videtur Simonides, an no? SOC. Imo optime. PROT. Videtur ne recte loqui Poeta, si ipse sibi met contraxerit? SOC. Minime. PROT. Attende itaq; diligentius. SOC. Satis o bone vir, attendimus. PROT. In eiusdem carminibus postea dicit, Pittaci sapientis licet viri suam absonam sibi videri, qua inquit, Difficile est bonum manere. Cernis eundem Simonidem hac & superiora dixisse? SOC. Equidem. PROT. Nunquid eadem hac & illa sunt? Eade, inqua, vt mihi videtur. Et simul metues ne quid vltra adijceret, interrogavi, an no ipsi quoq; videretur. Rogas, inquit, vtru constare sibi met illu pute, qui hac vtraz; dixit? & primo quidem proposuit bonu virum fieri vere difficile esse, paulo ante post tanqua suipsius oblitus, Pittacum eade cum illo dicentem, difficile scilicet esse viru bonu manere, carpit, eum dicta respuens, qui eade dixerat? Enimvero cum opinionis eiusde ac sua auctore Pittacum accusat, seipsum damnat. Quapropter aut prius aut posterius no recte dicit. His dictis acclamarunt auditores plurimi, & Protagoram collaudarunt. Ego aut primu tanquam a pugili robusto percussus oculis vertigine caligantibus vacillanti. Na & eius vox, & alioru clamor me profus obruerat. Deinde vero, vt apud te verum ingenue fatear, quo spatium ad Poeta mente inuestigandam captare, ad Prodicum conuersus inqua, Concuis tuus o Prodice Simonides extitit. Ergo tua interest illi opem ferre. Videor equide sic aduocare te, quemadmodu apud Homeru Scamander ab Achille obsessus Simoente aduocauit. O dulcis frater, viri huius vna ambo vim coprimamus. Haud secus ego te nuc accerso, ne Protagoras Simonide nostru expugnet. Equide vt Simonidi succurratur, illa concinnitate tua opus est, qua velle distinguis & cupere, & q; multa atq; praecleara paulo ante dicebas. Et nunc quide vide nu tibi idem quod mihi videatur, neq; n. repugnare sibi in dicendo Simonidem puto. Sed tuam o Prodice, suam prior expone: idemne tibi fieri & esse videtur, an aliud? Aliud, inquit Prodicus. Nonne in primis, inqua, Simonides hoc dicit, quod viru vere bonu fieri difficile sit? Vera narras, inquit Prodicus. Pittacu aut improbat, non vt Protagoras censet, idem sed diuersum dicentem. Non n. dixit Pittacus difficile esse virum fieri bonum, vt Simonides, sed bonum perseuerare. Est aut non idem o Protagora, sicut existimat Prodicus iste, esse & fieri. si autem non idem est esse quod & fieri, haudquaquam sibippsi Simonides contraria ponit. Ac dicere fortassis Prodicus huic & multis alijs illud Hesiodi licet, effici bonum difficile quidem esse, qui ante virtutem sudorem a dijs positum inquit. Verum vbi ad summum verticem peruenit u sit, facilem esse, qua comparatu difficilis fuit. Prodicus igitur cum hac audisset, me laudauit. Protagoras autem, ista, o Socrates, emendatio inquit, plus habet vtriq; quam quod emendas. Male igitur, inquam ego, o Protagora, mecum actu est, vt videtur, sumq; ridiculus medicus: quippe qui du curare contendo, morbu exaugo. PROT. Atqui sic tamen res habet. SOC. Qua ratione? PROT. Nimis enim inscius Poeta ille fuisset, si adeo virtutem parui

parui fecisset, ut facilem esse eius possessionē existimasset, cum sit omnium difficilima, id quod omnibus videtur. **SOC.** Opportunè per Iouem nostris iste Prodicus sermonibus interuenit. Videtur enim ò Protagora, diuina illa Prodicti sapientia uetusta esse quaedā, iandudum originem uel trahens à Simonide, uel ab antiquioribus: tu autem quum multarum rerū aliarum peritus sis, huius tamen imperitus appares. Ego uerò eam expertus sum, cum fuerim Prodicti huius discipulus. Atqui in presentia haud satis animaduertere mihi uideris, ipsum quod difficile dicitur, forsitan Simonidē non ita usurpasse, quem admodum abs te nunc usurpatur, uerum tanquā malū & graue quiddā intelligendum esse crebrò me Prodicus admonet. Nam quoties uel alium, uel teipsum laudans ita dico: Protagoras sapiens uir est & diues, id est, uehemens grauisq;: corripit me continuo, rogatq; num me pudeat, qui quod bonū est, graue uocem: cum quod graue est, sit malū. Nemo enim ita, diuitias graues, grauem pacē, sanitatē graue dicit, sed graue morbum, graue bellum, grauem paupertatē, quasi graue, id est, onerosum malū sit. Fortassis igitur & Chy & Simonides ipse, cum difficile dicunt, uel malū insinuant, uel aliud quiddam quod abs te minus intelligatur. Ergò à Prodicto sciscitemur. Decet enim de Simonidis scriptis hunc maxime percontari. Quidnā ò Prodicus Simonides ipso difficilis nomine intelligi uoluit? **PROD.** Malū profectò. **SOC.** Ob hoc, ut arbitror, Prodicus, Pittacū reprehēdit, dicentem, difficile esse bonū manere: ac si dixisset, malū esse manere bonū. **PROD.** Et quid aliud putas ò Socrates, si bi uoluisse Simonidem, quam reprehēdere Pittacū, quod non in a rectē discernere nesciret, ut potē qui Lesbios erat, et inter Barbaros educatus? **SOC.** Audis ò Protagora, quae Prodicus hic dicit? Quid ad haec? **PROT.** Permultum abest ut ita sit Prodicus. Certe equidē scio Simonidem difficilis nomine id quod & alij solent, uoluisse, non malū, sed quod non facile, quodq; multis cum laboribus cōparetur significare. **SOC.** Ego itē hoc uoluisse Simonidem arbitror, ò Protagora, idēq; Prodictū intelligere, sed ludere, tentareq; te utrum sermone tuo ualeas suffragari. quod enim Simonides difficile non malū intelligi uelit, argumento sunt quae sequuntur: subiungit enim quod solus Deus hoc munere frui dignus sit. Neq; uerò si uellet, malū esse bonū, paulo post adiungeret, solū Deū huius cōpotem esse, Deoq; soli munus id attribueret. Dissolutū planē hominē, nec ullo modo Chium Prodicus diceret fuisse Simonidē. Caterū quid tandem sensisse in his carminibus Simonidem ducam, dicam, siquidem de me periculum facere uis, quēadmodū circa poētica habeam. Sin autem Lubeat, te audiam. Protagoras cum haec audisset, ut Lubeat, inquit, ò Socrates. Verū Prodicus & Hippias, alijq; omnes agere iusserunt. Conabor inquam, quid de his carminibus sentiam, uobis exponere. Antiquissimū apud Gracos, & plurimū sapientiae studium in Creta et Lacedaemone extat, & sophista plures ibi quam alibi usquam reperiuntur: dissimulant autem & imperitos se esse fingunt, ne ceteros Gracos superare sapientia deprehendantur: prorsus quemadmodum Protagoras de sophistis supra dicebat, sed ut uideantur re militari potius et fortitudine ceteros anteire: ueriti ne si quod sunt, patefiat, ceteri omnes idē studium prosequantur. Ergò

celant, decipiuntque eos qui ceteris in Urbibus mores Lacedaemoniorum imitantur. Sunt enim qui quod aures praecidant, & quod loris inuoluuntur, quod exercitationibus, gaudent, quod breuib; uestibus uruntur, similes Spartanis esse uideri uolunt: perinde ac si huiusmodi rebus Lacedaemonij ceteros Gracos superent. Lacedaemonij uero quoties cū sophistis suis liberius colloqui uolunt, externos egre ferunt, & clanculum congregati, exclusis peregrinis omnibus, cum sophistis philosophantur. Prohibent quinetiam & ipsi & Cretenses, ne adolecētes gentis suae urbes alias adeant, ne quae apud eos docentur, alibi forte dediscant. Reperiuntur in his ciuitatibus nō uiri tantum doctrina egregij, uerumetiam mulieres. Quod autem uera loquar, & Lacedaemonij optimē ad philosophiā, sermonesq; sint educati, hinc maxime animaduertere licet. Si quis enim cum uilissimo etiā Lacedaemoniorum colloquatur, rudem plerūq; in uerbis apparere primo comperiet. Mox ubique rei ipsius opportunitas exigit, instar uehementis iaculatoris uerbum breue contortumq;, sed magni cuiusdam momenti eiuculatur, ut qui cum eo loquitur, nihil à puero differre existimetur. Quod autem Lacedaemoniorū uirtus, in sapientiae magis quam exercitationis studio consistat, intelligunt nōnulli nostra aetatis homines, & olim multi idē animaduertent, cum uiderent uerba eiusmodi enunciare posse, uiri esse absolutē docti. Horū è numero fuit Thales Milesius, & Mitylenaeus Pittacus, Bias Prieneus, noster Solo, Cleobulus Lindius, Myso Chenaeus, septimus horum dictus est Lacedaemonius Chilo. hi omnes amulij studiosiq; Lacedaemonia sapientia fuerūt. Eam talem fuisse cōperimus: uerba breuia, memoratu uicique digna. Hi factò concilio ex communi consensu, has Delphici Apollinis templo primitias sapientiae dedicauerunt, quae templo inscriptae, ab omnibus celebrantur: Cognosce teipsum: Nihil nimis. Haec ob eam causam refero, ut pateat eam prisca philosophia fuisse figurā, Laconicam scilicet quādā, ut ita dixerim, breuiloquentiā. Atqui & Pittaci propriū hoc dictum circūferebatur à sapientibus celebratum, Bonū manere, difficile esse. Simonides itaque cum sapientiae gloriā cuperet, cognouit si prouerbiū hoc tanquam insignem quendam athletam refelleret conuiceretque, fore ut ipse illustris ab omnibus haberetur. Quāobrem carmina illa cōposuit, eius cuius gloria insidiatus est, uerba, ut arbitror, turbaturus. Sed discutiamus haec unā omnes, & uideamus utrum uera loquar. Primū quidē carmina illa priora insanum hominē indicarent, si dicere uolens, uirū effici bonum, esse difficile: mox hanc particulam quidē iniecit. ea enim nulla ratione uidetur iniecta: nisi dicamus aduersus Pittaci uerba certantem Simonidem loqui: & cum ille dixisset, difficile esse bonum manere, Simonidem ad haec obijcere, Non ita est ò Pittace, imò bonum quidem uirum effici difficile est, uerè non reuera bonum. Non enim ideo dicit reuera, quia sint aliqui uerè boni, alij autem boni quidē, sed non uerè. Abs bonum nanque uideretur, neque Simonide dignum, sed in dictione, uerè, superiectionem esse in carmine dicemus, quā Pittaci uerbis subiecit, quasi ponamus Pittacum ipsum sic dicere, ò uiri, difficile est bonum manere, Simonides autem subiiciat, ò Pittace, uera minimè loqueris. Non enim esse, sed fieri uirum bonū, manibus pedibusque, et

Sapienter
Gracia,
Sapientia
Lacedaemo-
nia.

mente

mente ad amissim quadratum, est difficile Verè. ita videtur non absq̄ rōne hac particula quidem iniecta: & ipsum, verè, haud ab re postremo locatum. Atqui & q̄ sequuntur, omnia huic attestantur, quod sit hunc in modum dictum. Multa insuper sunt in his carminibus, q̄ quàm pulchrè scripta sint, sigillatim ostendere possemus. Scitè namq̄ & accuratè composita sunt, sed prolixior foret oratio. Quare summam poetæ huius formam consiliūq̄ exponendum. Intendit aut̄ prorsus in omnibus his versibus Pittaci dictum refellere. At n. paulo post ferme in hunc modum, quod effici virum bonum difficile Verè: est tamen tempus quoddam vbi possibile est. Factum Verò bonum eo in habitu perseverare, esseq̄ bonum, ut tu quidem Pittace contendis, impossibile est, neq̄ humanum, sed solus hoc Deus munere fungitur. hōem Verò ita bonum manere, ne rursus labatur, impossibile est, què fors inopina abripiat. Quènam potissimum inopinatus casus in naui gubernatione submergit: non rudem hōem: nam semper ille succumbit: & quemadmodum iacentem nullus deicit, sed stantem quandoq̄ deicit aliquis, iacereq̄ cogit, iacentem Verò nequaquam: ita solertè & sagacem hōem nonnunquam inopinatus casus circumuenit. Enimvero qui nihil pensi vnquam habet, minime. Et gubernatori quandoq̄ ingens tempestatu impetus improvisus superuenit, & agricola intemperies anni, & medico quoq̄ similia, adeo ut tunc improvidi fuisse videatur. Potest n. bonus aliquis malus fieri: quod alius quoq̄ poetæ testatur, dicens, Vir bonus, nunc prauus, nunc bonus est. Ut aut̄ malus efficiatur malus, fieri non potest. Esse n. semper necesse est. Quamobrem quoties casus inopinatus prouidum hōem sapientemq̄ & bonum inuadit, malus efficitur. Tu Verò dicis, o Pittace, difficile esse bonum manere. Res autem ita se habet, ut fieri bonum possibile sit, difficile tamen: perdurare aut̄ bonum, penitus impossibile. Quilibet n. benè agēs, bonus: malè contrà, malus. Quà nam circa literas bona res est? quæ ue actio virum in illis bonum efficit? Constat quòd earum perceptio. Quæ item actio bona bonum efficit medicum? Morborum curadorum peritia videlicet. Qui benè curat, bonus medicus: contrà, qui malè, malus. qui ergò malus medicus nonnunquam efficitur? Ille certè, cui primo hoc inest, ut medicus sit, deinde ut bonus medicus. Hic n. malus quandoq̄ medicus effici potest. Nos aut̄ medicina artis ignari, nunquàm malè agèdo aut̄ medici, aut̄ fabri efficeremur, aut̄ aliud tale. Quisquis aut̄ non fit medicus, malè officio suo functus, neq̄ etiam malus est medicus. Ita & bonus vir fieri potest aliquando malus, vel propter tempus, vel laborem, vel morbum, vel alium casum. Hæc quippe sola praua actio est, scientia priuari. Malus aut̄ vir nunquam malus fieret, est n. semper. Ac si malus fieri debet, oportet bonū fuisse prius. Ad hoc itaq̄ carmina illa tendunt, ut affirmant, impossibile esse virū bonum semper perseverare, fieri aut̄ bonum, eundemq̄ rursus & malū, possibile, plerūq̄ Verò optimos esse illos quos diligunt dii. Hæc itaq̄ oīa aduersus Pittacū sunt dicta, quod & sequentia clarius declarant. Hæc de causa, inquit, nunquàm ego quod fieri nequit, frustra q̄rens, sine reprehensione perpetuò victurū bonū, quicunq̄ fructibus terræ vescuntur, quenquam sperè. Deinde vobis quæ comperta mihi sunt, p̄dic-

co, & cetera quæ sequuntur. Addeò Vehementer totoq̄ carmine Pittaci dictum infestat. Vnumquenḡ Verò laudo amoḡ, spontè qui turpe nil patrat. Necessitati Verò neq̄ dii quidem ipsi pugnant. Id aut̄ est ad hoc idem dictum. Neq̄ n. vsquædeò rerum inscius erat Simonides, ut illum laudare se diceret, qui turpè nihil spontè committit, quasi sint aliqui qui spontè malè agant. Arbitror equidè sapientè nullum putare, quenquam hōum esse qui vltro aberret, malaq̄ & turpia spontè cōmittat. Sciunt etenim sapientes omnes, quòd qui mala turpiaq̄ cōmittunt, præter voluntatem peccant. Atqui & Simonides nequaquam laudare se dicit illum, qui non spontè scelera patrat, imò de seipso spontè illud intelligi volebat. putabat n. præclarum bonumq̄ virū sape seipsum impulsurum, ut amicus laudatorq̄ alicuius fieret, amareretq̄ laudaret. ut quibus morosi & iniqui sape parentes contingant, aut patria, aut tale aliquid: improbi hōes si sunt, vltro sponteq̄ in parentum patriaq̄ errata inuehi solent, & ea passim oībus diuulgare, nequis eos quòd parentes & patriam negligant, carpere possit: quare vituperant parentes patriamq̄, & præter necessitatem odijs & inimicitijs vltro exagitant. Probi Verò qui sunt viri, patria flagitia occultant potius, & ad laudandū eos sese cogunt: & si qua in re iniuria affecti iure parentibus & patriæ indignari possent, consolatur seipso, & se suū conciliant, seq̄ ad amorè laudemq̄ maiorum vel inuitos adigunt. Saepè et Simonidem ipsum arbitror, non ex animi sui sn̄a, sed inuitum ad tyrannum quendam, aut alium talem laudandum & tollendum accessisse. Hæc igitur ad Pittacum dicit. Ego quidè, o Pittace, nō ob id carpo quòd natura detrabere gaudea, cui satisfacit & ille quisquis malus nō est, nimirum ignauus. Sciens quidè inuabit ciuitatē iustam vir sanus. Neq̄ tamè ipse detrabam: neq̄ n. detractioe gaudeo. Stultorū nāq̄ est infinita gens, ut si quis eos vituperare pergat, necessariò defatigetur. Honesti porro sunt oīa, quibus turpia non sunt mista. Haud hoc dicit perindè ac si diceret, oīa alba quibus nigra nulla miscentur: ridiculū nempe id sit: sed quasi dicat, mediocria se toleraturum, neq̄ ea vituperaturum. Non quero, inquit, hōem irreprehensibilem penitus mortalium quenquam. Deinde vobis quod mihi compertum est, nuncio, quod videlicet huius causa neminem laudaturus sum. Verum mihi sufficit quisquis medium tenet, neq̄ turpè quid agit. Sic ego omnes diligo, sic laudo. Hic vtiq̄ Mitylenæorum lingua est vsus tanquam aduersus Pittacum, sic dicens, Omnes sic laudo, sic diligo libens. hic oportet vocem libens, à sequentibus distinguere, eum qui dicit, quisquis turpè nil patrat. Nam sunt quos ego non libens laudo & diligo. Quod si tu mi Pittace, vel mediocriter consentanea, veraq̄ dixisses, nūquam te reprehendissem. Nunc Verò cum & maxime & in maximis falsa proferas, quæ vera multis apparent, te reprehendere cogor. Hæc mihi o Prodicæ atq̄ Protogora, in istis Simonidis carminibus ipsius sententia fuisse videtur. Tum Hippias: Benè, inquit, o Socrates, carmina hæc exposuisse videris. Est & mihi ratio illis accommodata, quam vobis, si vultis, ostendā. Imò Verò, inquit Alcibiades, sed postea: prius aut̄ peragere decet, q̄ inter Socratē & Protagorā conuenerunt. Et si Protogoras interrogare vltius vult, respondere Socrates debet

debet. Sin autem respondere vult Protagoras interrogare Socrates. Atqui concedo, inquam, Protagora quodcumque horum ipsi gratius futurum est. quod si placet, versus pratermittimus, ea vero quae abs te primo quaerebam Protagora, libenter tecum absolvam. Videtur enim mihi disputatio de rebus poeticis persimilis esse conuiujs impertorum plebeiorumque hominum. Qui cum propter inscitiam nequeant inuicem propria voce suam sermonibus ipsi colloqui, mercede exhibitâ, tibicinas introducunt, & aliena voce, hoc est tibiaram flatu, conuiuium transigunt. Vbi autem boni praclarique et eruditi viri conueniunt, neque tibicinas sibi, neque saltatrices, neque cantatrices vllas videas, sed uoce propria remotis ijs nugis iocisque, conuiuium celebrare, & alternis interrogationibus responsionibusque modeste differere, etiam si uinum abunde bibat. Eodem modo ad disputationes huiusmodi si viri conueniunt tales, quales esse nos plurimi praedicant, haudquaquam aliena uoce poetarumque uerbis opus est, quos percontari, de his quae scribunt, non datur: & qui eorum testimonia in medium afferunt, alij hoc, alij aliud poetam dicunt sentire, neque tamen convincere rem possunt, de qua differunt, aut expedire. Tales ergo confabulationes viri sapientes mittunt, ipsique inter se colloquuntur, uicissimque ingenij periculum faciunt. Disputatores autem huiusmodi, ut arbitror, ego & tu nunc imitari debemus, & poetis posthabitis nostris rationibus rem ipsam discutere, facereque tam ingenij nostri, quam ueritatis periculum. Quod si deinde interrogare lubet, respondere tibi paratus sum: sin aliter uis, te mihi praebe, & adiua ad ea, quae intermissimus consicienda. Cum hac aliaque huiusmodi intulissim, Protagoras, quid potissimum ageret, haud satis declarabat. Hic Alcibiades ad Calliam conuersus. O Callia, inquit, videtur tibi nunc recte Protagoras facere, quum declarare nolit, utrum respondere velit, necne? Mihi quidem non videtur. Sed iam vel disputet, vel disputare nolle se dicat, ut haec de eo sciamus. Socrates autem cum alio quouis differat, vel alius quicumque uult, cum alio quopiâ. Hic Protagoras, ut uisus est mihi, uerecundia motus propter Alcibiadis orationem. Calliaque, & aliorum praesentium preces, vix tandem ad differendum descendit, inquitque Socrate ipsum interrogare, se respondere pollicitus. O Protagora, inquam, ne me tecum ob aliud differere putes, quam quia quod passim dubito, discussa uelim. Arbitror enim haud ab re illud ab Homero dictum fuisse. Si duo simul coeant, alter altero magis intellexerit. Expeditiores namque sumus cuncti ad quodlibet opus, uerbum, et sensum inuestigandum. Solus autem si quis quippiam cogitet, mox passim circumiens querit quicumque comunicet, & a quo confirmetur tantisper dum inueniat. Quamobrem ipse nunc tecum libetius, quam cum alio quouis disputo, existimans te optime omnium dijudicaturum, & de alijs omnibus, quae ad probi viri iudicium spectant, & de his maxime, quae ipse quaerebam, uidelicet de uirtute. nam quem melius, quam te id facturum sperem? Nempe plerique alij probi quidem ipsi sunt, sed alios tales efficere nequeunt. Tu autem non modo uirtute praeditum esse te ducis, uerum etiam ceteros homines eadem te ornaturum polliceris. Atque adeo tuo ingenio confidis, ut quam ceteri omnes dissimulent artem, tu eam solus profiteare, teque palam, per omnem Graeciam, quasi publico quodam praconio sophistam nomi-

nans, declares doctrinam morumque magistrum, & primum mercedem artificij istius exposcas. Quid igitur obstat, quin ipse praeter ceteris ad harum rerum disputationem scis adhibendus interrogandusque, & quin sint tecum omnia comunicanda? Nihil penitus obstat. Atqui & ipse nunc illa de quibus primo interrogavi, cupio rursus partim abs te mihi in mentem reduci, partim communi iudicio discuti. Erat autem talis, ut arbitror, quaestio: utrum sapientia, temperantia, fortitudo, iustitia, sanctitas, quinque nomina eiusdem rei sint, an unicuique horum nominum propria quaedam essentia subsit, & res quaedam uim propriam habens, adeo ut non sit alterum quale est alterum. Dixisti tunc nequaquam unius rei esse haec nomina, sed singula nomina rebus singulis adhiberi. Quinetiam partes omnes has esse uirtutis, haud sane perinde, ut auri partes inter se totiusque consimiles, sed ut uultus partes inuicem totiusque dissimiles propria discretas ui. & haec si nunc denuo ita, ut supra confirmas, dic. Sin aliter modo sentis, omnia lucide distingue. Equidem nihil imputabo, si aliter nunc dicas. Neque enim miror, si illa tunc Socratis tentandi gratia dixisti. PROT. Haec omnia partes uirtutis esse dico. ex quibus quattuor satis inuicem consimiles sunt. Fortitudo autem longe ab alijs differt. Quod autem uere loquar, hunc in modum cognosces. Reperies nonnullos homines iniustissimos, prophanisimos, intemperatissimos, imperitissimos, qui tamen ceteris fortitudine praestant. SOC. Attende, amabo, considerandum est quod dicis. Utrum fortes, audentes uocas, an alios quosdam? PROT. Imò etiam ad ea praecipites, a quibus plurimi deterrentur. SOC. Age itaque uirtutem honestum quiddam & pulchrum asseris, eamque ut pulchrum aliquid doces? PROT. Pulcherrimum equidem, nisi forte insanio. SOC. Utrum huius quiddam turpe est, quiddam pulchrum? an pulchrum totum? PROT. Totum quam maxime esse potest pulchrum. SOC. Scisne qui audacter in puteos se mergant? PROT. Imò uero. Urinatores enim. SOC. Utrum ob id quod sciunt, an ob aliud? PROT. Quod sciunt. SOC. Quinam horum ex equis fortissime pugnare audet? equi tene, an equestris industria rudes? PROT. Equites. SOC. Quinam peltis audacter pugnant? Peltatine, an alij? PROT. Isti quidem, & in ceteris omnibus, si istud quaeris, audaciores sunt, qui sciunt, quam qui nesciunt: idemque homines postquam didicerunt, audent quicquid uehementius, quam cum ignorabant. SOC. Vidistine unquam aliquos horum ignaros omnium, sed eos esse ad haec omnia tamen audentes? PROT. Vidi equidem & audaces maxime. SOC. Nunquid audaces isti fortes sunt? PROT. Turpe quiddam esset fortitudo. quandoquidem audaces isti furiosi sunt. SOC. An non dicis fortes audaces ipsos esse? PROT. Dixi equidem, & dico. SOC. Nōne isti qui sic audent, fortes quidem minime, sed furentes apparent? Et supra rursus sapientissimi illi audentissimi nobis apparuerunt, & quia audentissimi, ideo & fortissimi, atque ita secundum hanc rationem sapientia ipsa fortitudo esset? PROT. Haud satis recordaris, o Socrates, quae dixi supra, tibi que respondi. Equidem interrogatus abs te, utrum fortes uiri audentes sint, necne, consensi. Utrum uero & audentes fortes essent, non quaesivi. Quod si tunc interrogasses, respondissem, utique non omnes: quod uero fortes audentes non sint, a me concessum

Disputatio de rebus poeticis qualis sit.

Qui uero disputatores.

nunquam monstrasses, neque enim recte concessissem. Proinde scientes homines, ostendis ignorantibus, & seipsis, & ceteris audaciores esse, & idcirco idem esse sapientiam, & fortitudinem arbitraris. Quia ratione progressus, robur quoque sapientiam esse arbitrari queas. Nam si a me similiter in hunc modum quaesisses, verum robusti homines potentes sunt, asseruissem utique. Deinde utrum palæstra periri ad certandum potentiores sunt, quam imperiti, & ipsi perquam didicerunt se ipsis dum ignorabant, iterum admississem. Hæc me confitente licuisset tibi eodem pacto conficere, per concessionem meam sapientiam robur esse. Ego autem nunquam in præsentia potentes homines robustus esse confiteor. Robustus tamen potentes esse aucto. Et idem esse robur, & potentiam arbitror. Nam et à scientia, & ab insania, & ab ira potest potentia provenire. robur autem à natura duntaxat, & debita corporum nutritione venit. Similiter & in illis nequaquam idem esse censendum, fortitudinem & audaciam. Quapropter contingit, fortes quidem audentes esse, at verò non omnes audentes fortes sunt, Audacia enim ab arte hominibus, ab ira, ab insania datur, quemadmodum de potentia diximus: fortitudo autem à natura, debitaque educatione provenit animorum. SOC. Dicisne, o Protagora, alios homines bene, male alios vivere. PROT. Dico equidem. SOC. Nunquid bene vivere homo tibi videtur, si cum molestia doloremque vivat. PROT. Minime. SOC. Sin autem usque ad vitæ finem iucunde quis vivit, bene vixisse dicendus? PROT. Certè. SOC. Ergo iucunde vivere bonum, molestè malum. PROT. Si modò honestis delectatur. SOC. Nunquid ipse Protagora, quemadmodum alij multi, iucunda quadam mala vocas, tristia verò bona? PROT. Voco. SOC. Utrum quatenus iucunda sunt, eatenus non sunt bona, & non si quid ab illis provenit aliud, rursusque tristia eodem modo? PROT. Sic. SOC. Non ex eo quòd tristia mala? PROT. Ignoro Socrates, utrum simpliciter, ut interrogas, respondere me deceat, iucunda omnia bona esse, tristia mala. Sed tutius mihi fore videtur non solum ad præsentem questionem, verum etiam ad omnem vitæ meam rationem, ut respondeam esse iucunda quadam non bona, & tristia quadam non mala: esse rursus & neutra, quæ neque bona sint, neque mala. SOC. Num iucunda vocas ea, quæ vel voluptatis participia sunt, vel efficiunt voluptatem. PROT. Prorsus. SOC. Quæro igitur hoc, utrum ex quòd iucunda sunt, non bona sint. Utrum videlicet ipsa voluptas sit non bonum. PROT. Quemadmodum ipse ubique dicis, o Socrates, hoc inquam, consideremus: & si ad rem conducere ea consideratio videatur, idemque iucundum, & bonum appareat, concedamus: sin minus, tum ad disceptandum pergamus. SOC. Utrum igitur ipse disputationis dux esse vis? an me præire iubes? PROT. Aequum est te esse ducem. Tu nanque cœpisti. SOC. Hoc modo forsitan quòd querimus, patebit: quemadmodum si quis ad hominis vel sanitatem, vel alium corporis habitum, opusve consideranda, vultus eius, & manus extremas contemplatus dicat, age iam, pectus mihi dorsumque nuda, ut clarius inspiciam. Sic ego nunc quidem, idem illud ad hanc disputationem requiro. Nam cum tuam erga bonum voluptatemque sententiam, e verbis tuis cognovim, tale aliquid mihi expedit dicere. Age Protagora, & in hoc tuam mentem aperias, quid de

scientia sentis? nunquid idem tibi quòd alijs, an aliud placet? Nam de scientia plurimi sanè sic iudicant, ut neque robustum quiddam sit, nec ducat, nec etiam dominetur. Neque enim de ipsa velut de duce principie suspicatur. Sed cum persape non desit homini scientiam, non ipsam tamen, sed aliud quiddam, ut vel iram, vel voluptatem, vel dolorem, vel amorem, vel formidinem dominari putat. Atque de scientia sic cogitant, quasi de mancipio quoddam ab omnibus alijs undique tracto. Nunquid & tu idem sentis? an potius præclarum quiddam scientiam, & in hunc principem arbitraris, ita ut si quis bona malæ discernat, nunc quæ ab alia re induci queat, ut aliud quam quòd scientia iusserit, suscipiat agendum: sed prudentiam unam satis esse idoneam, quæ homini sit præsto? PROT. Videtur mihi quòd dicis, o Socrates. Nam si cuiquam hominum turpe est negare sapientiam scientiamque omnium rerum humanarum esse potentissimum, mihi certè turpissimum. SOC. Præclare nimium verè loqueris. sed enim nostri multos mihi, & tibi non credere? Aiunt porò plerisque boni cōscios, cum bona agere liceat, agere bona nolle, sed alia. Et quoscumque rogant quæ nam huius rei causa sit, respondent, vel voluptate, vel dolore, vel aliquo alio eorum, quæ supra retulimus, superatos, hæc agere. PROT. Alia quoque multa sunt, o Socrates, in quibus homines errant. SOC. Age itaque conare mecum hominibus persuadere, docerèque quòdnam hoc malum sit, quò se aiunt voluptatibus superari, & hanc ob causam, quæ cognoscunt bona, non facere. Fortassis enim si dixerimus, erratis, o hōes, falliminique, rogabunt. Si quid non, o Protagora, & Socrates, hoc voluptatis malum est, cui succubitur, quòdnam est aliud? quòd dicitis vos? exponite. PROT. Quid verò nos ad multorum opinionem attendere decet, qui vicunque contingit, loquuntur? SOCR. Conducturum nobis hoc arbitror, ad inveniendum, quò ad ceteras virtutis partes fortitudo se habeat. quare, si superiori pacto standum censet, ut videlicet ego præeam, quæ maxime inveni posse quòd querimus, arbitror, sequere. Sin minus hoc, & dimitti manus mitto. PROT. Probè loqueris, perge igitur, ut cœpisti. SOC. Ego si rursus à nobis sciscitarentur, quid istud vos esse dicitis, quòd nos nunc à voluptatibus dicebamus? Sic respondeam. Audite igitur, ego et Protagoras vobis istud declarare conabimur. Nunquid enim aliud hic fieri dicetis, quam quòd saepe contingit, ut homines ciborum poculorumque, et venerorum voluptate pellecti vicibusque asciscant ea sibi, etià si mala esse cognoscant? Assentientur illi. At nos ita. Mala verò illa cur dicitis? Utrum quia voluptatem hanc præsentem præbent, & sua vitate deliniunt? An quia in posterum morbos, inopiam, & alia multa generis huius adducunt? An etiam quæ nihil tale in posterum inferunt tantum quia delectant, mala sunt, quòd homo gaudere discat putamusne eos, o Protagora, aliter responsurus, nempe, quæ quòd non propter præsentem voluptatem mala sunt, sed propter morbos, et alia quæ sequuntur? PROT. Sic vulgus arbitror responsurum. SOC. Nonne dum morbos adducunt, dolores inferunt? dum egestatem, dolorem? Assentientur, ut arbitror. PROT. Imò certè. SOC. Hæc ergo, o viri, non ob aliud, ut ego, & Protagoras arbitramur, mala vobis apparent, quam quòd in dolores desinunt, ceterisque voluptatibus privant. Confiterentur. PROT. Proculdubio.

culdubio. SOC. Si contra rursus interrogaremus, o viri, tristia esse bona fatemini, nonne eiusmodi quadam dicitis? ceu exercitationes corporum, labores militiae, medicorum curationes, quae vel secando fiunt, vel vrendo, vel pharmacia, vel inedia, bona dicitis, sed molesta? Cōsentirent. PROT. Et hoc. SOC. Vtrum haec ex eo bona uocatis, quod praesentibus doloribus cruciatibusque conficiunt? An ob id potius, quod in posterum ex his sanitas, et bona corporis habitudo, patriae salus, potentia diuitiarum sequuntur? Ob id ipsum dicerent, ut existimo. PROT. Ego quoque id iudico. SOC. An ob aliud haec bona sunt, quam quod in uoluptates desinunt, et molestias pellunt? Aliumne finem assignare potestis, ad quem respicientes haec bona uocatis, quam uoluptates atque dolores? Non possumus, ut arbitror, responderent. PROT. Sic equidem puto. SOC. An non uoluptatem, ut bonum sequimini, dolorem, ut malum fugitis? Cōcederent. PROT. Profecto. SOC. Ergo id malum existimatis, dolorem scilicet, bonum uoluptatem, quandoquidem et ipsam oblectationem, tunc sanè malum dicitis esse, quando maioribus uoluptatibus priuat, quam afficiat: vel quando uehementiores dolores infert illis, quas praebet uoluptatibus. Quonia si ob aliud ipsam delectationem malum appellaretis, ut puta finem alium respicientes, possentis nobis quoque monstrare. Sed nequaquam poteritis. PROT. Neque mihi posse uidentur. SOC. Similiter quoque dolorem ipsum, tunc duntaxat bonum dicitis, quum maiores fugat dolores, quam infert, aut uoluptates molestias uehementiores inducit. quandoquidem si ad alium finem respicientes, dolorem bonum iudicaretis, eum possentis ubique ostendere, sed non poteritis. PROT. Vera narras, o Socrates. SOC. Si me quoque uicissim rogetis, o viri, quomobrem ubique multa de hoc loquar, ignoscite mihi, protinus responderem. Primo nanque haud facile demonstrari hoc potest, quid sit quod dicitis, à uoluptate superari. Deinde quia demonstrationes in hoc oēs sunt. Et nunc etiam si quid urget, quod exponere uelitis, licet si quomodo habetis aliud quod bonum dicatis, quam uoluptatem, et quod malum, quam dolorem. An sufficit uobis uiram iucunde absque tristitia ducere? Quod si sufficit, neque dicere potestis aliud bonum, vel malum, quod non ad haec tendat, audite quod sequitur. Aio equidem his ita se habentibus, ridiculum esse uestrum illum sermonem, quo dicitis, quod homo mala, mala esse sciat, nihilominus agat mala, cum possit non agere, uoluptatibus scilicet tractus, uictusque. Item cum dicitis hominem boni conscium agere bene nolle praesenti uoluptate deuinctum. Ridicula inquam haec esse patebit, nisi multis uti nominibus uolemus, iucundo, tristi, bono ac malo. Postquam enim duo haec in uniuersum esse constat, duobus tantum nominibus uocemus. primum quidem boni ac mali, postea iucundi ac tristici. His positis ita dicamus, Est homo qui mala esse mala nouit, illaque facit nihilominus. Si quis autem quaeratur quomobrem, quia uictus est, respondemus. A quo? inquiet ille. nobis autem non licebit ulterius à uoluptate uictum dicere. Aliud nomen uoluptatis loco suscepit, bonum. Ideo respondebimus, bono uictum. Ibi si ille, qui nos interrogat contumeliosus forte uir sit, ridebit certe, diciturque absurdum esse dictum. Si facit enim quis mala, esse mala sciens, cum non oporteat facere, uictus bonis, bona haec dignane sunt, ut mala vincant, an indigna? Indi-

gna dicemus, neque enim errasset ille, quem dicimus uoluptatibus superatum. Ad haec ille, Quomobrem bona ea indigna sunt, ut mala vincant, vel mala, ut bona? num quid ob aliud, quam quia haec maiora sunt, illa minora? Vel plura haec, illa pauciora? Non habebimus certe causam aliam. Addet ille, Constat igitur, quod superari est, loco minorum bonorum maiora mala suscipere. Haec ita se habeant. Mutemus nomina, accipiamusque in eadem re iucundum ac triste. Hoc pacto. Hominem agere prius diximus mala, dicamus nunc tristia, cum sciat esse tristia uoluptatibus superatum, talibus scilicet, ut uictoria sint indigna. Quae uero alia inest ad dolorem indignitas uoluptati, quam excessus inter se atque defectus? hoc est, cum inter se maiores minoresue sunt, plures item, et pauciores, uehementioresque, et remissiores. Si quis autem dixerit: At multum differt, o Socrates, uoluptas praesens à futura uoluptate atque molestia: dicam equidem, num alio quopiam, quam uoluptate atque molestia? haud sanè alio potest. Sed perinde est ac si uir quissiam ponderandi gnarus collectis hinc uoluptarijs, istinc tristibus, tam quae propè, quam quae procul sunt trutinam exquirat, dicatque utra plura sint. Si enim uoluptaria, cum uoluptarijs libris, maiora semper, et plura sunt eligenda: sin autem tristibus tristia comparas, pauciora, minoraque: sin iucunda cum tristibus, et tristia quidem à uoluptarijs superetur, siue propinqua à re motis, siue remota à propinquis, ratio illa est eligenda in qua haec insunt: quod si iucunda à tristibus superetur, minime. an aliter se res habet, o uiri? scio equidem nihil afferre eos aliud posse. PROT. Idem et ipse arbitror. SOC. Postquam uero ita se id habet, illos hunc in modum interroga bo. Apparere oculis uestris eadem moles cominus maiores, minores eminus? Affirmabunt puto. Et crassa, et multa similiter? et aequales uoces propè quidem maiores, longè uero minores? Cōsentient. Si in hoc bene agere, et felicitas nostra consisteret, hoc est in magnis molibus fabricandis, accipiendisque, paruis autem reiciendis, quae nam nobis potissima uita salus esset? num ars dimetiendi? aut optice potius, quanta res appareat ostendens? Imò haec nos deciperet, et errore confundens saepe cogeret eadem alias aliter iudicare, atque adsciscere, et in magnorum paruorumque electionibus saepius consiliū mutare. Dimetiendi uero facultas apparens hoc abrogaret reselleretque, ueritatemque aperiens a quo quietem daret ueritate nixo, atque ita uiram seruaret. Consentirentne homines ad haec, an non, mensoria scilicet arte nos seruari? PROT. Hac ipsa. SOC. Quid porro? si in ipsa paris impari sue electione salus uita consisteret, quando quod plus est, rectè eligi oporteret, et quando quod minus, vel ipsum ad seipsum, vel aliud forte ad aliud, siue propè, seu procul sit, quid potissimum nostram uitam seruaret? nonne scientia? Et metiendi quidem, quum excessus atque defectus ea ars sit. Cum uero paris, et imparis habenda ratio sit, non alia, quam numerandi scientia. Concederent homines haec, an non? PROT. Absque controuersia. SOC. Postquam uero salutem uita certum est in recta uoluptatis dolorisque electione consistere, id est pluris et paucioris, maioris et minoris, propinquioris et remotioris delectu, nonne dimetiendi facultas primo excessus, defectusque, aequalitatis item mutua consideratrix est? PROT. Neesse. SOC. Quoniam uero metiendi facultas est, neesse est, ut ars, et scientia sit. PROT.

Admittent. s o c. Quae Verò potissimum haec scientia sit, alias considerabimus. Sufficit. n. nunc scientiam esse, quod ad eam responsum spectat, quam ego & Protagoras vestraeramus quaestioni daturi. Haec autem, si recordamini, erat quaestio. Nos quidem consensimus, nihil scientia potentius esse: imò semper ubique adest, voluptati, cum etiam ceteris dominari. At vos obieistis voluptatē, saepe etiam scientiam dominari. Quod cum vobis nequaquam darem, statim ita rogastis: Si hoc, o Protagora, & Socrates, non est à voluptatibus superari, sed aliud quiddam, declarate quid sit. Hic si illico respondissemus inscientiam esse, protinus nos risissetis. Nunc autem si nos deridetis, etiam vos ipsos deridebitis. Ipsi enim vos paulò antè confessi estis, defectu scientiae aberrare illos, qui in voluptatem, & dolorem electione delinquunt. ea verò bona sunt, & mala. Neque defectu scientiae tantum dixistis, sed addidistis etiam, defectu scilicet scientiae metredi. Actio autem errans, & quam scientia non regit, ut & vos non latet, ab inscitia provenit. quapropter quod dici solet, à voluptatibus superari extrema inscitia est. Cuius velut morbi Protagoras hic, & Prodicus, & Hippias medicos se profitentur. Vos autem quia aliud quiddam esse hoc, quam inscientiam putatis, neque vos ipsos, neque filios vestros hisce sophistis rerum illarum doctoribus curandos datis, quasi virtus doceri non possit: at cum pecunijs inuigilatis nimium, nec mercedem his praceptoribus offeritis, privatim publiceque delinquitis. Haec planè vulgo respondissemus. Nunc autem vos etiam, o Prodicus atque Hippia, vna cum Protagora hoc percontor, communis. n. hic sermo vobis esto, verane vobis loqui videar, an falsa? Vere admodum dicta esse, visum est omnibus. Conceditis igitur, inquam, quod iucundum est, esse bonum quod triste, malum. Distinctionem vero illam nominum, quam Prodicus hic inycere solet, rejicio, eumque requiro iudicium. Sine enim voluptarium, siue delectabile, siue latum, siue quomodocumque tandem nomines, optimè Prodicus, hoc mihi nunc quod volo respondeas. Subridens Prodicus assensus est, & alij pariter consenserunt. Tum ego, Quid ad hoc, o viri, actiones oēs, quae ad iucundè & sine molestia viuendū pertinent, nonne honestae & viles? honestumque opus, bonū & vtile? Annuerunt. Si ergo iucundum, inquam, bonū est, nemo vel sciens, vel existimās alia meliora esse his quae fecit, potestque, deinde haec agit, cū meliora possit. Quod verò dicitur ab affectionibus superari, nihil est aliud, quam inscitia: & quod affectionibus dominari, nihil quam sapientia. Placuit omnibus. Quid verò inscientiam, nonne tale quiddam dicitis, quando quis falsa opinione decipitur circa res plurimi faciendas? Hoc quoque dederunt. Nemo verò libens ad mala descendit vel ad illa quae mala existimat. Neque hoc ut videtur natura hominis inest, ut ad ea quae censet mala, bonorum loco declinare velit. Et cum è duobus malis alterum eligere cogitur, nemo quod peius eligit, dum licet quod est minus malum eligere. Haec omnia cunctis nobis rata habenda visa sunt. Quid, inquam timorem ac terrorem vocatis? Nunquid quod ego erga te dico Prodicus? Expectationem porro quandam mali, siue timorem, siue terrorem ipsi vocatis, ego dico. Visum est Protagora, atque Hippia timorem ac terrorem hoc esse: Prodicus autem timorem quidem esse hoc, terrorem verò minime. Nihil id refert, in

A voluptatibus superari extrema inscitia est.

Insicitia.

quam, o Prodicus, sed istud, num vera sint superiora dicta. Quisnam igitur mortalium ad illa proficisci volet, quae metuit, dum licebit ad ea quae minime timet? An fieri nequit, secundum ea quae iam concessimus? nam quae quis metuit, constitit quod mala esse putat, quodque nullus sponte ad illa descendat, capiatque quae mala credat. Haec quoque omnibus placuerunt. His ita positus, o Prodicus, inquam, & Hippia, quae primum respondit Protagoras iam nunc defendat. imò verò non quae primum omnino. Dixit enim, è quinq. virtutis partibus nullam esse alteram alteri similem, sed vim vnamquamque privatam habere. Neque hoc vrgo nunc, sed quod sequitur. Sic enim in sequentibus, inquit, quattuor virtutis partes satis in vicem propinquas esse, vnam verò illarum, fortitudinem scilicet, à reliquis longè differre. Quod inde conijci posse dicebat, quod plerique inuenirentur fortissimi viri, qui tamen prophaniissimi, iniustissimi, intemperatissimi, et insipientissimi essent, ex quo patere volebat fortitudinem ab omnibus alijs virtutis partibus plurimum differre. Cuius ego responsum statim vehementer sum admiratus, multoq. etiam magis postquam vobiscum haec tractavi. Quare ab illo sciscitatus sum, Verum fortes audaces vocaret, ille verò precipites insuper addidit. Recordaris, Protagora, haec te respondisse? PROT. Recordor. s o c. Dic obsecro nobis ad quid precipites homines fortes nuncupas? An ad ea, quae timidi aggrediuntur? PROT. Non. s o c. Ergo ad alia? PROT. Nempe. s o c. Vtrum timidi audenda aggrediuntur? metuenda fortes? PROT. Ita fertur, o Socrates. s o c. Vera narras. Verum non hoc requiro, imò verò tu ad quid precipites fortes appellas? num ad mala, cum esse mala sciant, perniciosaque, an ad ea potius quae talia non sunt? PROT. Impossibile hoc esse abs te superioribus rationibus est ostensum. s o c. Et in hoc quoque verè loqueris. Quamobrem si hoc rectè est demonstratum, ea quae mala perniciosaque iudicat, aggreditur nemo, quandoquidem constitit inscientiam esse quod dicitur ab affectionibus superari. PROT. Planè. s o c. Enimvero ea unusquisque aggrediuntur, quae audent, tam timidi, quam fortes. Atque hac ratione eadem & timidi, & fortes aggrediuntur. PROT. Imò contraria omnino sunt, o Socrates, ea ad quae fortes & timidi contendunt. Nam ad bellum quidem ire hi volunt, illi verò nolunt. s o c. Ire honestumne, an turpe? PROT. Honestum. s o c. Nonne si honestum, etiam bonum esse supra consensimus? Omnes enim actiones honestas & pulchras, etiam bonas esse conuenit. PROT. Vera loqueris, & mihi quidem semper ita videtur. s o c. Probè. Verum quosnam dicis in praelium ire nolle, cum iter id pulchrum bonumque sit? PROT. Timidos. s o c. Nonne si pulchrum & bonum, etiam est iucundum? PROT. Concessum est. s o c. Nunquid scientes, timidi ad id quod pulchrum, melius, & iucundius est, proficisci nolunt? PROT. At verò si hoc admittimus, quod superior conueniebat, peruertemus. s o c. Quid porro? Vir fortis, nonne ad id quod pulchrum, melius, iucundiusque est, tendit? PROT. Neesse est confiteri. s o c. Omnino igitur fortes viri, neque turpiter metunt, si quando metunt, neque turpiter audent. PROT. Ita est. s o c. Si non turpiter, honestè & pulchre. PROT. Certè. s o c. Sin honestè, etiam bene. PROT. Vtique. s o c. Nonne & timidi